
1976

pare



Sués
Attâke M.
Ghobeibe
Aijoun Musa
Arabia Deserta
Hamam Faraûn
Masr ſeu Ægyptus
Báhhr el Kolſum
Sinai M.
Tôr
Akaba
Râs Moham med
Báhhr el Akaba
Tiran
Hedjâs
Koſsir
Mare Rubrum
Kalla Moilah
Djæbbel Sumrud
Iſtabel Antar
Bellâd Habbesch
Báhhr el Hedjâs ſ. Báhhr Mekke
Hassâni
Mhâr
Iambo
Djâr
Maſtura
Rabogh
Obhôr
Djidda
Abu Sáad
Mekke
Hedjas
Báhhr Hedjâs
Mare Rubrum
Ras Abûd
Bellâd Habbesch ſeu Abissinia
Serene
Ghômſude
Hali
Iemen
Attuîe
Düchne
Maſſaua
Djeſân
Abu Ariſch
Dahhlak
Gorâb
ſeu
Báhhr el Iemen
Loheia
Urmuk
Arabia Felix
Kandel
Kamerân
Beilûl
Hodeida
Meti
Ghaleſca
Roheita
Mochha
Bâb el Mandeb
Seila
Berbera
I. Haas. ſc.

Carded
172875
Division of Fishes
U. S. National Museum

DESCRIPTIONES
ANIMALIUM

AVIUM, AMPHIBIORUM,
PISCIUM, INSECTORUM, VERMIUM;
QUÆ
IN ITINERE ORIENTALI
OBSERVAVIT

PETRUS FORSKÅL.
PROF. HAUN.

POST MORTEM AUCTORIS
EDIDIT
CARSTEN NIEBUHR.

ADJUNCTA EST
MATERIA MEDICA KAHIRINA
ATQUE
TABULA MARIS RUBRI GEOGRAPHICA.

HAUNIÆ, 1775.
EX OFFICINA MÖLLERI, AULÆ TYPOGRAPHI.
APUD HEINECK ET FABER.

SMITHSONIAN INSTITUTION
U. S. NATIONAL MUSEUM

PETRUS FORSKÅL

opere hoc poſthumo

Poſteritati traditus, ſuperſtes erit —
aut laudatus, aut excuſatus.

SMITHSONIAN LIBRARY

QL
337
E3F73
1775
c.3
SCNHRB

SERENISSIMO

AC

POTENTISSIMO PRINCIPI,

DOMINO

CHRISTIANO SEPTIMO,

DANIÆ, NORVEGIÆ, VANDALORUM
GOTHORUMQUE REGI, &c. &c.

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO.

Sereniſſime ac Potentiſſime Rex,
Domine Clementiſſime!

A*b antiquiſſimis usque ſeculis* Arabiæ *Peninſula advenis obſcura & fere inacceſſa, ſibi ſe reſervavit; & Provincia, quam* Yemen *vocant Incolæ, faſtuoſo* Felicis *titulo increbuit. Cœli ſolique bonitas nativa hanc prærogativam non effinxit totam; ſed divitiæ & merces Mundi circumjacentis hanc Regionem, opportune ſitam magno Commerciorum fluxu tranſibant. Poſtquam ad alia littora tantæ refluxerunt opes, nomen tamen priſtinæ perduravit fortunæ.*

Quo

Quo abſtruſior adhuc latebat Arabia, eo vehementius optarunt Scientiarum cultores, ut plena illuſtraretur luce. Demiſſa hæc eorum vota audivit & gratiſſime excepit Gl. M. REX FRIDERICUS V. *quem tot nominibus Literarum extollunt faſti, & Thulen hanc detegere ejusque patefacere portas conſtituit.*

Factum hinc eſt, ut viſa diu felix Arabia propius inſpecta & ſecreti nube profligata, qualis ſit appareat. Commoda & incommoda juſta miſcentur lance. Sub bono Principe quæcunque regio barbariem exuit & felix appellari meretur.

Quam ſæpe illuſtres repeterent legationes Optimi Reges, ſi tanta officiorum obſervantia ſpem implerent Socii, qua b. m. Profeſſor FORSKÅL *demandatam ſibi Hiſtoriam Naturalem Arabiæ inveſtigavit! Qua uſus eſt induſtria: quot coacervavit ſpolia Naturæ rariſſima: quæ pertulit alacri animo mari terraque tædia, pericula, inſultus, climatum injurias, vel ex eo conſtat, quod* REGI *& Scientiis vivere & occumbere non refugit.*

Tot tantaque acta, ne fati & oblivionis injuria emolumento publico ſubducantur, cui inchoata & deſtinata fuerunt, magnanima caves, REX AUGUSTISSIME, *cura.* MAXIMI GENITORIS TUI *generoſe incepta generoſe continuas.* ILLE *Forſkålium vocavit, miſit, ſuſtinuit.*

nuit. Eum redivivum, TU *ſiſtis,* DOMINE CLEMENTISSIME, *dum Msc. poſthuma evulgata cupis, & gratiſſimum conſenſum regali munificentia exornas.* TIBI, REX POTENTISSIME, *debet Orbis Literatus hæc Viatoris* TUI *monumenta, quæ devotiſſima offerre manu ſuſtineo.*

Qui fructus tot e laboribus exſpectari debent, jam quidem e longinquo ſublucent; omnes vero deſignare adhuc non licet; tacito enim & moderato adproperant paſſu, tempore duce, experientia comite. Interea Scientiæ, illæ melioris Seculi filiæ, quoties uſus in his Scriptis, vel iis monſtrantibus detegunt, MAXIMORUM BENEFACTORUM *memores,* AUGUSTISSIMA NOMINA, *qua poſſunt gratitudine celebrare, & venientibus annis perpetua memoria renovare non deſinunt.*

Devotiſſima fide manebo

Sacræ Regiæ Majeſtatis Tuæ

ſubjectiſſimus ſervus
Carſten Niebuhr.

LECTORI BENEVOLO!

In lucem prodit publicam Opus diu & anxie exſpectatum b. m. *Profeſſoris* Forskålii, Expeditionis literatæ ad *Arabiam Felicem* Socii. Dignus cenſebatur ille, quem magnanimus DANIÆ Rex FRIDERICUS V. in diſſitam mitteret terram, ut fundum Hiſtoriæ Naturalis exploraret. Spem de ſe conceptam non fefellit eximius Viator; ſed ardore ſuperavit, actis factisque probavit adeo indefeſſe, ut in ipſo tandem muneris campo, & in conſpectu Scientiæ Naturalis ceciderit. Jam vero, ex tot officiis vix aliquid ultra famam ſupereſſet, ſi idem naufragium Socios omnes una clade abſtuliſſet; aſt unus alterius cineres tumulando propria meditatus eſt fata, & Msc. reſidua ſollicite convaſabat; quæ, ſolus ſuperſtes ego Hauniam transmiſi omnia.

Cl. *Forſkålius* e primo Orientis limine inclaruit Literis ad Eruditos primi ordinis miſſis, Seminibusque Plantarum per Hortos Europæ Botanicos diſtributis. Sed Deſcriptionum & Obſervationum ſylvam ægre vidiſſent Curioſi. Faſciculi de manu in manum delapſi, inter varia impedimenta longasque moras fluctuabant.

Neque hoc ſine cauſa. Cl. Auctor adverſaria ſua committere ſolebat ſchedulis ſparſis minutimque diſſectis; methodo ipſi quidem commoda, ut increſcentes indies & interlabentes novas obſervationes poſſet ſuis locare ſtationibus velut folia in Herbario; quum compactum Volumen adfluentibus undique viſis & auditis, ſuis tandem limitibus anguſtum & confuſum ſe reddit. Verum

enim

enim vero, hæc diſtributio in tranquillo muſeo haud utilis, nullo conſenſu approbanda Viatori eſt, quem continua vexat ſarcinarum agitatio & evolutio. Quam facile foliolum aufugit, quod ex memoria reſtituere nequit Auctor ipſe; longe minus rei perditæ ignarus alter? Chartulæ ad ruinam jam ſciſſæ & paratæ hæredem requirunt ſcientiarum avidiſſimum, cui grave non erit inter fragmina disjectæ materiæ ſerpere, ut ſolidum ex iis conſtruat ædificium. Ipſa, ſua mole ſibi gravis ſarcina foliis abundabat octo centum ultra millia; quorum aliquot e Poſſeſſoris manu dudum excidiſſe credibile eſt; interiiſſe poſthuma non minus certum. Hæ lacunæ, quamvis reparandæ hodie non ſunt, ad perpetuæ tamen oblivionis inania non pertinent, dum locis in natalibus eædem creſcunt Plantæ, eadem vivunt Animalia.

Msc. horum ſalus illico me ex Oriente reducem tetigit. Quum vero accepi eorum tutelam commiſſam Viro in Scientia Naturali peritiſſimo, omnem ſollicitudinem depoſui. Anno tamen poſt annum labente, *Forſkålium* nimis ad oblivionem recedere dolui, & faſciculos laciniarum vitio ab interitu ſe non bene tueri, juſto ſenſi timore. Quamvis adhuc non conſtitit, quid quantumque novi lateret in tanta farragine, illam plurima tenere curioſa judicavi ego, qui *Forſkålii* ſtupendam diligentiam toties miratus ſum. Ægerrime tuli, ſi ex tantis laboribus & periculis nihil maneret, niſi opinio rei bene geſtæ.

Ne igitur monumenta hæc in ancipiti diutius penderent, ipſe experiri volui, quid mea valeret cura. Illuſtriſſimum Comitem de Bernstorff adii ſupplex, ut Clementiſſimi REGIS aſſenſum expeteret his Msc. evulgandis. AUGUSTISSIMUS DOMINUS nihil ſerius optans, quam Itineris hujus Orientalis ſpolia,

dum

DSI

dum mare enatarunt, ne in portu perirent, veniam gratiſſime concedebat. Utque pia noſtra deſideria toto fortunæ niſu promoverentur, iis auſpicatiſſimo adſpiravit nutu SERENISSIMUS PRINCEPS HÆREDITARIUS FRIDERICUS, qui publicæ felicitatis incrementa recta & regia Scientiarum via quærit & auget.

Tanto gratiæ conſenſu erectus, non cunctanter faſciculos orphanos ſuſcepi. Conſilia Amicorum doctiſſimorum exploravi, quo ordine ſcripta hæc extricanda, quaque facie in lucem emittenda eſſent. Illi unanimi judicio ſuaſerunt, Auctorem autographum magis placere quam emendatum, & Publico intereſſe veritatem non per interpretem, ſed ex ipſius Obſervatoris ore audire. Quæ nova detexit *Forſkålius* ſcire avet Orbis literatus; refugit quæcunque novus addit auctor, qui de ſpeciebus abſentibus æquum ferre judicium non valet; ne quidem in exemplari mortuo vel exſiccato ea cernit ſigna, quæ primo effulſerunt obſervatori. Sic ajebant Amici, & nihil juſtius dictum putavi; inque eandem habui ſententiam iſtum, cui laboris tanti obtuli molem.

Tam pertinaciter in hac area actum eſt, ut Msc. Auctoris omnia vinculis ſoluta, foliis expedita, & membra divulſa in ordinem redacta typisque expreſſa, appareant. Primitias eorum ſiſtimus Hiſtoriam Animalium; Floræ mox in veſtigio ſequuntur. *Editoris* titulum ineo, nullo modo Hiſtorici Naturalis. Illius autem nominis jure fidem interpono, Deſcriptiones omni, qua fieri poteſt, candore evolutas eſſe. Interpolationes ſub Auctoris tutela irrepſerunt nullæ, & homogeneam Syſtematis compagem, partes non fœdant diſpares. Tam bene cautum eſt, ne veritates in anguſto habitantes ſub immoderata brevitate laterent; vel ſi omnia Auctoris annotata effunderentur, ſimul inutilia exuberarent. Synonymorum

ſatellitio & Lemmatum internodiis faſtigiare librum noluimus: his incrementis vacuas reliquit paginas Auctor, qui in via & campo, non in muſeo & bibliotheca ſcripſit.

Stili & narrationis genius ſimplex, dilucidus & Scientiæ legibus obtemperans *Forſkålium* ubique ſpirat & characterem exprimit mentis, cui infixum erat: *non temere credere.* Ignotum nemini eſt Orientalium ad Mythologiam & tectæ veritatis ænigmata proclive pectus. *Forſkålius* frequentiorem cum indigenis quam Europæis familiaritatem & convictum agens, ſemper aliquid hujus arcani hauſit. Quam caſte tamen & caute ſe muniit a credulitate, ſcripta probant, quæ rerum alienæ fidei duo vel tria vix præbent exempla. Fabularum compilationem prorſus non damnamus. Apprime neceſſaria eſt ad varietates Veritatis, & diverſas fictionis larvas cognoſcendas. Ipſa phantaſmata imaginationis novitate ingenii ludentis vel errantis placent. Nulla fictio, quæ ex veritate enata non eſt; nulla ſine aliqua veritatis linea.

In his foliolis eruendis idem contigit, quod priſci Orbis ruinas ſcrutantibus accidere ſolet, ut in quovis foſſoris jactu pretioſas inveniant res, multo pulvere ſqualentes. Plures ex his Msc. proſiluerunt animadverſiones, quas primus promittere non potuit aſpectus. Errores haud paucos cum ipſo ſequi Auctore; errores transſcribendo ſubrepſiſſe fatemur ipſi; & monſtratos agnoſcemus. Mitiori illos ſtringit cenſura, quisquis noverit, veritatem in omni puncto tutam ex umbra mortalitatis prodire nunquam poſſe. Abſint igitur lites eruditæ; arguentium tribunal, nobiscum quod agat, nihil habet. Innocentiſſimo animo Auctorem ab interitu vindicare voluimus; noſtrum non erat illuſtratum ſiſtere. Hoc magnæ patientiæ & doctrinæ opus aliis reſervatum eſto.

Cauſam

Cauſam igitur *Forſkålii* defendendam non ſuſcipimus, ſi præter modum *ſuccinctus* videatur Lectoribus, qui deſcriptiones amant vocabulorum ambitu diſtentas, totasque characterum laminas ad ultimam usque evolutas. Peccavit-ne in hoc compendio Auctor, ego non deciderim. Clare & graviter eum ſcripſiſſe exiſtimo; an ſufficienter, neſcio. Quum rem denominatam congruentem primis & palmaribus cum ſignis cernit Lector, his acquieſcit & reliquas minutias ſuperſalit, aut non ſine tædio continuat. Totum ſyrma notionum ad Phyſiologiam rei deſcriptæ ablegat. Si eo usque progrediendum erit, quo finis Deſcriptionis adæquatæ ſtatuatur, Syſtema nomenclaturæ in Anatomiam & Syſtema Diviſibilitatis infinitæ reſolvitur. Quid ſi *Deſcriptio Micrographica* adjiciatur & in Mundum usque Dioptricum prolongetur?

Scientia Naturalis in eodem rerum ſtatu conſtituta hodie eſt, ac Literarum erat cultura univerſa tempore vergentis Barbariei. Ingenia quippe heroica & ad altiores volatus deſtinata, in ſtudio inani & pulverulento verborum conſumta evanuerunt. Auctores moderni, qui ex obſervando & denominando modum retinere neſciunt, ſibi moleſtum imponunt onus, & acervum vocabulorum plus quam ſterilem Lectoribus relinquunt. Quantus labor eſt Pinnarum radios, Alarum plumas, Serpentum ſcuta & ſquamas non una vice numerare & renumerare, nullus, niſi Scientiæ cultor genuinus ſcit, & ſimul cum *Forſkålio* amare ingeminat in opere tam triſti. Optat, ut Scientia Naturalis quam ocyſſime exuat jugum hoc grammaticale, & characteres induat genuinos quidem; ſed ſenſibus & rationi magis obvios & emetiendos.

Feliciorem viam iniiſſe Auctorem noſtrum in diſtribuendis *Piſcibus* ex *Dentium* ſitu, haud affirmaverim. *Lacertarum* Syſte-

ma e Speciebus cognitis proprium in uſum delineavit; quod vero facilem & ſcientificam ob formam adjicere debuimus. Non ſine qualicunque ſenſu reluctantis animi eſt, dum ideam ſequitur in Syſtemate Naturæ reformato datam, quæ Natantium aliquot genera ad Quadrupedia mittit; vel Piſcium genera nonnulla ſub *Amphibiorum* ſigno trahit. Gratum fuiſſet audire Auctorem Philoſophum fuſius differentem in rationes, quibus inductus totam hanc deſtruit Claſſem, debiliſſimo antiquæ denominationis fundamento inſiſtentem; propriam vero provinciam rebellionis contumacia defendentem; unde non aliter fieri poteſt, quam quod reliquæ Claſſes Animalium ſpecies has, tanquam totidem transfugas accuſant. Ipſa definitio Amphibii, quocunque demum artificio tornata, vix ſenſum Scientiæ Naturali congruum admittit.

Deficere *Forſkâlium* in *copia ſpecierum* lubenter concedimus. Hunc monſtrant defectum *Nomina vacua*, quibus nullæ adhærent deſcriptiones. Hæ lacunæ fidem Auctoris firmant, qui nihil, niſi obſervatione duce & judice tradidit, & potius parce loqui, ſed vere voluit, quam volumina Relationibus implere exoticis. Nomina ſibi, non Lectoribus notavit, ut occaſione ferente, quæſtiones haberet, quas Incolis proponeret. Nos eundem Catalogum & Quæſtiones *Forſkâlianas* Eruditis Europæ proponimus, ut in Scriptis Arabum reſponſa quærant. Nec inutilis eſt hæc Sylloge aliis Viatoribus, qui, dato nomine, in res ipſas inquirant; ignoti enim nulla eſt ſcientia. Incolæ rudes ipſi, terræ indolem ignorant, usque dum indiciis moniti & excitati vident & loquuntur. Denique, neſcio quo niſu dubia & obſcura potius inveſtigamus, quam vulgaria & patula. Scientia quoque Naturalis ſuum habet ſtudium Antiquitatum; dumque ex Oriente munera mittit integra, hieroglyphica & fragmina ſcripta interſpargit. Pari

Pari involvimus excuſatione *defectum Animalium*, quorum notitiam ab Auctore exigere poteſt Zoologus. Benigna manu accipe Lector, præſentes deſcriptiones magis minus-ve diffuſas ultra 300; præter obſervationes in Conſpectu Faunæ allatas. Totidem ſpecies novas vel emendatas adferat Tibi ex Oriente Viator unus & alter; & Zoologia numero civium certabit cum Botanica. Conſiderandum præterea eſt, Animalium notitiam non eadem facilitate comparari ac Plantarum, quæ vitam agunt ſedentariam & cum vicibus anni fluentem. Dies & menſis Botanicum ad opportunam vocat herbationem: moram deinde tranquillus exſpectat, dum vegetabilia e ſeminibus in horto ſatis excreſcunt. Animalium hiſtoria regios poſcit ſumtus, & eorum captura Venatorem magis quam Scientiæ alumnum requirit. Volucres vigili & præpeti ala effugiunt: Amphibia latebras terræ agilitate lubrica ſubeunt; nec cujusvis manus eſt Plutonia hæc corpora tractare. Non omnia exſequi valet omnis. Ægyptus liberos negat campos excurſionibus eruditis, & Arabiam feſtinanti tranſivimus pede. Venatoriis artibus & ambagibus nec locus neque tempus ſuffecit.

Entomologiæ ſtudium Cl. Auctori olim in deliciis erat, & Oriens Collectionem Inſectorum ſuppeditavit ingentem; ſchedulas vero hoc ſub titulo militantes invenimus admodum paucas. Jam ex Ægypto & Suès Cl. *Forſkålius* Hauniam miſit rariora exotica totis manipulis. Pars reſidua terra marique conquiſita in Arabia ſimul cum Vermibus, Amphibiis & Piſcibus in Sp. V. aſſervatis, magna afflicta eſt ruina in tumultu, quo excepti fuimus *Mochham* ingredientes.

Poſt mortem Socii Muſeum Viatorium ad *Bombayam* tranſtuli; inde verſus *Tranquebariam* miſi. Ex hoc portu enormi

errabat ambage *Cantonem* Chinæ; inde demum Hauniam appulit. Quis ergo ſalva & integra exſpectabit corpora mollioris texturæ, poſtquam turbulentam maris agitationem, & Climatum viciſſitudines tam diverſas ſubierunt? Quum Inſectorum exuviæ non facile collabuntur & exiguo corporis compendio aſſervari commode poſſunt; credibile eſt Auctorem has deſcriptiones, ſuas amœnitates, curis reſervaſſe quietioris vitæ. Attamen *Cancrorum* hic leguntur ſpecies variæ: *Cerealium exuſtio: Gryllus migratorius* & *Cicada mannifica* indigitantur.

Teſtaceorum ſpecies perquam paucæ inhabitarent Mare Rubrum, ſi Catalogo hoc in opere datō crederentur enumeratæ omnes. Cl. *Forſkålius* copioſius illas collegit, quam ſcribendi diligentia aſſequi potuit; quæ præterea ſemper hic in ſaxeo & ſterili arat fornice. Quum vero indelebiles perſiſtunt literæ hæ Tethydos, iis relegendis otium cum voluptate conſecraſſet redux.

Coralliorum indicem iis arridere ſperamus, qui theoriæ hujus natales novis incrementis extendere cupiunt. Hic, aut nusquam Muſeum eſt, ubi ſcientia hæc abſtruſa ſtudenda erit, & cum Corallologia Maris Baltici comparanda. Diverſam quoque Neptuni progeniem incumbens advolvit Oceanus.

Sicut vero omne punctum non tuliſſe *Forſkålium* ajunt Cenſores; ita a parte contraria vitio illi vertunt *nimium ſpecierum affluxum*, quas characteribus ſpecificis non ubique ſuffulſit fixis. *Piſcium* agmina e prima acie produnt Varietates nimis multas, & Species aliquot levius ſtabilitas. Tu vero, qui hanc moves querelam & otioſa manu hæc volvis folia; *ex iſtis*, *utinam! undis*, *ubi hi natabant piſces*, *eos ipſe petiſſes*! ſcires, quanti tibi conſtaret hæc notitia. Tot novis ſpeciebus obrui, eas compa-

rare, ad normam Scientiæ oculata examinare ſubtilitate, procul a conſilio librorum, inter tumultus itinerum, tempore & tempeſtate urgente; hoc conamen heroicum vocat quisquis ſterilia & triſtia deſcriptoris officia deſudavit ipſe. Cl. Auctor Piſcium exuviis utili artificio detractis Herbarium compegit Ichthyologicum, quod curis ſubciſivis reſervavit & integrato examini.

Iſta laude defraudare *Forſkålium* nullus debet veritatis æſtimator candidus, eum re ipſa *Species novas* Animalium omnium fere Claſſium detexiſſe haud paucas, & tot characteribus delineaſſe, quot ſufficiunt a congeneribus diſcernendi. Ornithologia lucem fœneratur egregiam ex paralleliſmo Temporum periodicorum *Avium migrantium.* Si quid in *Molluſcarum* Generibus ambiguum appareat, perpendant Cenſores, Vermium cognitionem adhuc enatam vix eſſe, & neminem exigere a viatore experimentorum patientiam in Animalium Marinorum naturam, quæ aut rariſſimo protrahuntur caſu, aut ſemper occultantur elemento, quod totum latebra eſt.

Juſta ſi dividatur lance hæc lis, agnoſcet Lector Auctorem Varietates non alio ſub titulo exhibuiſſe, quam inſtar *differentiæ exſtantioris* a Specie ſuperiore. Jam neceſſe eſt, antequam excludantur, ut accurata cenſura eas conferat cum ſimulacris in Muſeis aſſervatis vel in tabulis Zoologicis expreſſis; usque dum novus viator easdem *Forſkålii* lucubrationes in locis natalibus renovat. Si enim dicam, quod res eſt, *Recenſio Varietatum* ſobria in Zoologia provinciali non ſolum admittenda, verum & urgenda eſt; nam illi adhuc multum reſtat ad dignitatem Syſtematis Naturæ. Deſignatis Varietatibus primariis, in iis deceptus non errat tiro; quum Species tam polymorphæ ſæpe ludunt, ut exercitatum fal-

lant

lant oculum. Nec omnes Varietates cum die & loco mutantur. Avium genera marem & fœmellam magnitudine & coloribus ſeparant. Inſecta in eadem domo quaſi ignota habitant, mares, fœmellæ, neutra; alatus ille, aptera hæc. Tanta diverſitas ejusdem progeniei, niſi dudum obſervatione innotuiſſet, totidem deſcriberentur ſpecies diſtinctiſſimæ.

In Archivo hoc rerum exoticarum omnia ſcitu neceſſaria putamus, tanto magis, quo anguſtiore compendio proponuntur. Nobis datum non eſt, ex prima hac ſtatione indigitare, quorſum rivuli omnes ſe diffundant; quæ nobis levioris momenti apparent, in eodem nodo magnam veritatum ſeriem evolvit ſagax acumen. Veritates indelebiles manent, cum annis increſcunt & perpetua inventorum familia propagantur.

Nihil facilius eſſe poteſt, quam ſuperflua tranſire. Gradum interea reprime Lector, & Scientiæ alumno ſincero, erudito & erectæ mentis confide, qui Species dum viventes & integras contemplatur *notas* judicio & ſenſibus diſcernit, quibus ſingulis enuntiandis in promtu non habet verba. Si fata permiſiſſent, Zoologiam Orientalem Cl. Auctor elaboratam & magna luce illuſtrantem varia dubia edidiſſet, quæ ille BOCHARTO ſuperior, poſt acquiſitam Linguarum Orientalium notitiam vivam, & Scientiæ Naturalis longinquam experientiam valuiſſet & præſtitiſſet.

Sunt, quibus Cl. Auctor videtur nimis ſollicitus in *vocabulis Arabicis* conquirendis; & hi, ſine dubio literati minorum gentium, ceu quisquilias repudiant ſonos iſtos non intellectos. Sed ſpatia hæc illi, quibus apparent obſcura, prætereant; brevis eſt ſaltus. Iſtis Lectoribus non ſcripſit Auctor, neque tranſcripſimus nos. Sapienter eum feciſſe ajunt vere Eruditi. Non enim Linguarum

guarum cultura ita ad occaſum ſpectat, quin magni adhuc viri humeros tantæ opponant ruinæ. Ipſa Lingua Arabica in Europa plane exſtincta non eſt, ubi tot in Bibliothecis ſervantur Msc. hoc idiomate eruditorum Orbis Orientalis vernaculo exarata, & ſine interprete nequaquam intelligenda. Nomen rei naturalis Arabice enunciatum vana vox eſt, niſi Scientiæ modernæ nomenclatura determinetur; quod ſolus ille exſequitur, qui ſtudia hæc tam diſſita conjunxit. Quantum *theſaurus Linguæ* ex tali verborum ſylloge increſcit, facile perſpicitur. Cl. *Forſkålius* nomina Arabica Romanis literis expreſſa interdum ſiſtit diſſona ab iisdem vocibus Anglo, Germano vel Gallo Auctore ſcriptis; is enim Svecanæ linguæ dialecto aſſuetus, illius ductum ſæpius ſecutus eſt. Similiter ad normam dialecti Ægyptiacæ ق exprimit inſtar *Q*; idem in Arabia inſtar *G*. In Ægypto enunciat ش ut *Sj*; in Arabia ut *Sch*.

Græca nomina eo minus diſplicebunt, quo familiarior Doctis hæc Lingua ſonat in ſcriptis adhuc non barbaris, Aristotelis, Æliani & horum imitatorum Plinii, Solini aliorumque.

Delineationes Animalium, e Claſſe præcipue Vermium, haud paucas egregia pinxit manu induſtrius Baurenfeind. Exſpectant illæ ſocietatem *Iconum Plantarum*, ut ſimul in publicum prodeant. Brevis eſt mora, nec impedimenta retardant Lectorem, ſi verbis adumbratas habet deſcriptiones claras & ſufficientes, ut hæ ſunt *Forſkålianæ*.

Maris Rubri littora ſufficienter non deſignata fuerunt hucusque Geographiæ cultoribus; quumque plurima Voluminis hujus res his in undis agitur; luce viatoria Lectorem præire voluimus, ut veſtigia inſpiceret Muſei Auctoris Ichthyologici: littora Teſtaceo-

ſtaceorum feracia: tractus & fines ſcopulorum Coralliferorum: brevia Piſcibus frequentata.

Materiam Medicam ampliorem non invenit Cl. *Forſkålius*, quam ex Officina Pharmacopolæ Græci Káhiræ collegit, Domino ipſo præeunte. Si ad extendendam Scientiam Pharmaceuticam copioſa ſatis non eſt; ad illuſtrandam inſervit. Loci natales variorum Simplicium innoteſcunt & pretia rerum, ſimul cum nomine ſcripto & loquente. Neque domi ſine uſu eſt, in explicandis Libris Arabum Medicis & Botanicis.

De cætero monendum eſt, Auctorem uſum fuiſſe *Editione decima Syſtematis Naturæ* de LINNÉ; & nos, ne recentiorum annorum detecta & emendata illi adſcriberemus, eodem filo ariadneo ſecutos fuiſſe.

Forſkålii hæc opera Lectores nanciſci æqui judicii, optamus; ſed & leviorum ingeniorum inſurgentes prævidemus cenſuras. Neceſſarium ducimus hos monere pugiles, ne *Forſkålium* noſtrum temere accuſent, ſi ab aliis Doctis, de LINNÉ præſertim, ſubinde diſſentiat. Magnum eſt ſæpe laudari a de LINNÉ; gratiſſimi animi indicium eſt, quum diſcipulus magiſtri & anteſignani veſtigia tam preſſe ſequitur, ut hic noſter. Scientiæ Practicæ quovis die falſa detegunt, dubia emendant, certa confirmant, veritatum incrementa augent. Quid hoc ſibi velit, primæ magnitudinis ingenia ſciunt, quæ ex faſtigio eruditionis ſuæ ſpatia ſcientiarum in immenſum extenſa proſpiciunt, quæ nec intellectus humanus, neque ſecula exhauriunt.

Cl. *Forſkålius* viva emicuit juventute & nativo indolis vigore perſeveravit. Fortunam meritis comitem habuit, quæ cineribus ſuperſtes manſit, & raro favore Msc. in profundo

remotæ

remotæ Terræ ſervavit. Quidquid in his modum & littora excedit, coerceat alius, ſi oneri eſt: quicquid deficit, ſuppleat quicunque poſt *Forſkålium* eadem promittere audet, quæ hic conatu & factis præſtitit poſt BELLONIUM, ALPINUM, HASSELQUISTIUM. Si his meliora exhibere non vales, Lector, his utere. Si quid illuſtrius noveris, imperti: *erudita & juſta litura pretium huic operi facit.*

CONTENTA.

CONSPECTUS Faunæ Orientalis.

Quadrupedia. Ægyptiaca. Arabica. - pag. III.

Aves. Deſcriptæ. Nominatæ. - - VI.

Amphibia. Deſcripta. Nominata. - - VIII.

Pisces. Deſcripti. Nominati. Piſces Melitenſes. - X.

Insecta. Deſcripta. Nominata. - - XX.

Vermes. Molluſca. Teſtacea. Zoophyta. Corallia.

Conchylia nominata. - - - XXIV.

DESCRIPTIONES.

AVES. - - - - - - pag. 1.

Aves migratoriæ. - - - - - 7.

AMPHIBIA. - - - - - - - 12.

PISCES. - - - - - - - - 22.

INSECTA. - - - - - - - 77.

VERMES: Mollusca. - - - - - 99.

Testacea. - - - - - 122.

Zoophyta. - - - - - 128.

Corallia. - - - - - 131.

Testacea fossilia. - - - - 139.

MATERIA MEDICA. - - - - - 141.

DE-

DESCRIPTIONES
ANIMALIUM:

AVIUM:
AMPHIBIORUM:
PISCIUM:
INSECTORUM:
VERMIUM:
TESTACEORUM:
LITOPHYTORUM.

QUÆ
IN ITINERE ORIENTALI
OBSERVAVIT

PETRUS FORSKÅL.
PROF. HAVN.

NOVA GENERA.

PISCIUM.

SALARIA. (Gadus 3.)
SCARUS. (Scarus 11–18.)
SIGANUS. (Scarus 9. 10.)
ACANTHURUS. (Chætodon 88–91.)

MOLLUSCARUM.

SALPA.
PTEROTRACHEA.
PHYSSOPHORA.
FISTULARIA.

— *Mutæ natantes*
Squammigerum pecudes, & læta arbuſta, feræque,
Et variæ volucres, —
Horum unum quodvis generatim —
Invenies — LUCRET.

FAUNÆ ORIENTALIS

CONSPECTUS.

QUADRUPEDIA.

(*Obſervata, non deſcripta.*)

α) ÆGYPTIACA.

1. SIMIA; CAUDATA. *Robâb* رباح clunibus nudis.
   β) *Alia* e *Nubia* affertur; vocata *Niſnâs.* نسناس
2. VESPERTILIO. *Adſiæ.* عكسية
   Arabes e deſertis adferunt ſtercus Veſpertil. quod frequenti uſu medico adhibetur interne. Externe aceto mixtum tumoribus imponitur.
3. CANIS; a) FERUS. paſſim. *Kelb mærre.*
   Album græcum, ar. *Châra kælb rumi* خرا كلب رومي e Græcia affertur; uſitatum contra Scabiem interne ſumtum doſi ʒj vel ʒiij ſaccharo mixtum.
4. b) HYÆNA. *Dabbá.* ضبع In deſertis.
   Cauda non annulata, immaculata. *Corpus* albidum, tranſverſe faſciatum; pilis dorſi longioribus, rigidioribus. *Ungues* pedum 4 — 4. *Ungulæ* lobi 5. *Pedes* anteriores majores. Arabes carnem ad uſus medicos adhibent.
5. c) VULPES. *Taaleb* ثعالب vel *Dorên.* درين
6. VIVERRA; a) ICHNEUMON. *Nems.*
7. b) ZIBETHA. *Qott el barr*; قط البر id eſt: *Felis ſylveſtris.* Zibethum affertur e Nubia; vocatur *Zabad.* زبد *Moſchus* dicitur *Miſk.* مسك
8. ERINACEUS. *Hærbe* حربة vel *Ganfud.*

9. RHINOCEROS. *Karn chartit:* قرن خرتيت *Cornu rhinoc.*
E Nubia. Colore rubro, vel albo; ſed cornua fulva optima & antivenenata creduntur, e quibus pocula fabricantur, pretio 5. Ducatorum.

10. MUS. a) DOMESTICUS: *Far.*

11. b) MUS JACULUS. *Djarbua.*

12. CAMELUS a) VULGARIS. *Djämmel.*
Animal natum ad tolerandos labores & incommoda orbis meridionalis. Os & gingivæ mira cartilagine inductæ, ne noceant ſpinæ plantarum deſerti, quæ omnes fere armatæ ſunt, quasque cætera animantia horrent; quarum vero heluo Camelus eſt.

13. b) DROMEDARIUS. *Hadjîn.*
A Camelo non ſpecie ſed propagatione variat: corpore apto & gracili; imprimis capite, collo, pedibus. Curſu equo citatior.

14. c) BACTRIANUS. *Bócht.*
Gibbo dorſi duplice. Exoticus; & proceribus tantum inter animalia rariora reſervatus.

15. CAPRA. a) GAZELLA. *Dabi* ظبي vel *Ghazell.* غزال

16. b) IBEX. *Bæden.*
Ex *Hedsjas* affertur.

17. HIPPOPOTAMUS. *Abu muer.* *Damiatæ* apparuiſſe, ajunt.

ARABICA.

α) GENERIS CERTI.

18. BALÆNA. *Bættan.* بتان Ante tres annos una projecta in littora maris rubri, 40 uln. long. In urbe *Tôr*, in Monaſterio Græco *Raithu* vocato, oſtendebant mihi *Cestum* (noſtratibus ſæpe *Gigantum Oſſa*) e piſce reſiduam grandi, ad littora Suenſia non ita pridem ejecto. Referunt Arabes *Scarum rivulatum*, (*Sigan*) neſcio quam ob inimicitiam ingredi nares Balænæ, easque crebriter pungendo, animal occidere. Confirmant exemplo Balænæ in littore ad *Hateban* mortuæ, cujus nares inſederat Scarus.

19 DELPHIS Djiddæ vocatur Mas *Darfil* درفيل vel *Gobâr*; قبر Foemina *Arra*; alibi vero *Abu ſalâme.* Gregatim 10. vel 15. mares foemellam perſequuntur. Victitat Muricibus tribulis.

20. LEPUS. *Arnæb.* عرنب In montibus Yemen non obvius.

21. URSUS. *Dubb.* دب

22. LEO-

22. LEOPARDUS. *Nemr.* نمر In Arabia & Ægypto non infeſtus, niſi irritetur. Ædes noctu ingreditur, feles captans.

23. LUPUS. *Dib.* ديب

β) GENERIS INCERTI.

24. ARDJ. عرج *Canis hyæna?* Cinereus, piloſus.

25. BAKAR UASCH. *Bos ſylveſtr.?*

26. DAREN. *Meles?* Cryptas terræ inhabitat.

27. MASHUR: مسهر colore nigro; ½. ped. longus; capite grandi; morſu lethali.

28. KUNDI: كندي exiguus; a ſerpentibus captatur.

29. DJÆAR: جعار Aſino ſimilis forma, ſtatura, auribus. Caro edulis.

30. SCHENSAR: شنصر Feli ſimilis, ſed major: cuniculos terræ inhabitat: gallinas venatur nocturnus prædator; eundo ſtrepitum edit.

31. ÆKSCH: عكش ejusdem formæ; gallorum ſono clamitans; rapax.

32. DAKIR: دكير Bovis magnitudine; cornua nulla; nocte prædatur.

33. DOGHAR: دغر *Veſpertilio?* noctu volat; fructu *Coffeæ* veſcitur, quem, nimis forte guloſus, vomitu reddit, unde incolis opinio, eum ano deſtitutum eſſe.

34. UABR: وبر feli ſimilis, ſine cauda; herbiphagus, monticola. Caro incolis edulis.

γ) NOMINE SOLO NOTA.

a) HATTAF.
b) SAGHMA.
c) BAJJUD.
d) BOKSUL.
e) SJARAD.
f) OMM SÆLAMLAM.
g) NAAM. نعام Ital. GANGA.
h) ÖCKASCH. عكاش
i) GHAFLA.
k) SAHHA MRIR.

l) TAHISCH طهيش vel NEBASCH نباش animal fabulare: magnitudine hominis: corpore pilis albis, molliſſimis: noctu ſono ridente clamans. Sufflare valet ad longam diſtantiam, & ſpiritum denuo reſorbendo ſimul attrahit corpora viva, imo & cadavera e ſepulcris exſugit. Ortus animalis, non inferior his dotibus: quatuor enim conflatur ſubſtantiis: diabolo; vento; fulgure; in quarta vero defecit memoria hominis hanc fabulam mihi narrantis.

AVES.

α) DESCRIPTÆ.

1. FALCO cinereo-ferrugineus. *Haddaj.*
2. MEROPS a) ægyptius, viridis. *Chaddæjr.*
3. b) apiaster. *Schægbagba* vel *Schokak.* شقاق
4. CROTOPHAGA griseo-maculata. *Tullæk* vel *Dymludj.*
5. ALCEDO semi-cærulea.
6. ANAS a) anser. *Uæs araki.*
7. b) grisea. *Scar chir.*
8. c) collaribus albis. *Sau ſarai.*
9. d) boschas. *Kenár.*
10. e) fusca, macula alba. *Gattair.*
11. f) viridi-rhombea. *Sirſair.*
12. g) nigro-viridi-rhombea. *Balbul.*
13. h) ferina, undulata. *Batt.*
14. COLUMBA a) turtur; rufescens.
Columbarum in Ægypto theriotrophia a Viatoribus deſcripta & delineata ſunt. Copioſe coluntur aves iſtæ. Præter aquam, pabulum illis non præbetur, quod in agris & campis inveniunt ipſæ. Fimus Columbinus ad ſaturandam terram Cucurbitaceis plantatam adhibetur; præterea enim Ægyptiaca terra humana non indiget ope ad vires & ſuccos reſtaurandos.
15. b) incarnata. *Hamâm.*
16. TURDUS seleucis; grylli-vora. Arab. *Samármar.* سمرمر
Aleppo quovis anno advenit menſe Julio & Aug. Gryllorum examina ſequens & perſequens. Procul auditur clamore *tr, tr;* unde forſitan nomen romanum adeptus eſt.
17. MOTACILLA schoenobenus. Nigro-cinerea. *Abuſſæj.*

β) NOMINATÆ: (*Arabicæ.*)

1. ACCIPITER. *Sanûa.* Gallina minor.
2. NOCTUA. *Muſlem.* Defuncto homine, in vicinia clamat hæc avis nocturno tempore ſono articulato *fat, fat;* quod Arab. idiomate eſt *tranſiit.*
3. CROTOPHAGA. *Kækab.* قعقب roſtro ſerrato. Veſcitur ſerpentibus & Chamæleontibus.

4. UPUPA

4. UPUPA EPOPS. Arab. *Hudhud.* Káhiræ *Hædhadæ.*

5. PROCELLARIA PELAGICA.

Nigra; dorſo macula alba. In Mari Luſitanico obvia.

6. ONOCROTALUS. *Abdjirbu.*

Avis ad littora Nili non infrequens. Poſtea quoque vagum inveni in Inſula Maris rubri, ubi nidum ſtruxit e ſarmentis. Ova inerant quatuor, alba, fuſco-nebuloſa, ovi anſerini magnitudine. Avolavit mater terrefacta, neque redibat tempore duarum horarum. Mirum id mihi videbatur, & alienum a cura prolis in Septentrionali orbe, ubi avis puerpera ſemper clamans, rediens, circumvolitans. Onocrotalo eadem ſine dubio memoria nidi, ſed fervidum clima longiorem permittit abſentiam.

7. LARUS a) *Bagaa.* In Ægypto. Græc. Γλάρος. Alia ſpecies Μαῦλις.

8. b) *L. Jan van gendt.* Arcticus: prope *Hetlandiam;* albus; remigibus apice nigris. Prope *Caput B. ſpei* volat Larus ejusdem coloris; an idem cum hoc polari? (cfr. Itinerar. Dn. OSBECK.)

9. GRUS ALBA. *Kohnobi.* كهنوبي

Pedibus & plumis ſubalaribus rubris; unde volans apparet totus ruber.

10. CHARADRIUS ÆGYPTIUS. Arab. *Abu maghâſil* vel *Qatqat.*

Quem hoc nomine deſcripſit *Haſſelquiſt*, videtur potiori jure pertinere ad genus *Hæmatopi.* Eſt denique, ut mihi videtur, differentia ſexus, non ſpeciei inter Charadrium alexandrinum & ægyptium.

11. TETRAO PERDIX. Turc. *Tjekik:* Ad Tôr *Schinjan.* Djiddæ *Hædjal.*

12. COLUMBA a) TURTUR. *Djâbleb.* جعلب

13. b) VULGARIS. *Hudjæfa.*

14. c) ALIA major, ejusdem nominis; granivora.

15. PASSER DOMESTICUS. *Akbar.*

16. ALAUDA ARVENSIS. *Kunbar* vel *Kombara.* Frequens ad littora Nili, etiam Lohajæ menſe Januar. ubi quoque MOTACILLAM *luſciniam* agnovi.

γ) OBSCURÆ. (*Arabicæ.*)

a) RHASCH: rufeſcens; columbæ magnitudine; granivora.

b) ELBAS: الباس cinerea; columba major; prædatrix.

c) RÆKA: prædatrix.

d) SÆRÆD: flava; graniphaga; columba major.

e) MEHARRED; flava: turture minor. Holci ſeminibus victitat. Nidum ejus vocant incolæ *Mekfaſch.*

f) ASFARET EMOSETTIN; nigra, parva; cerealia depaſcens.

g) GHOR-

g) GHORNOK: alba: *Oeſtris* paſcitur in tergore boum nidificantibus.
h) ABU RISCHÆ.
i) ABU ÆMAI.
k) DJOUN: جون canora; edulis.
l) BYLBYE: rubens, turture major; ipſa ſibi nomen dedit *bylbye* clamando.
m) ACHJAL: *rectricibus* duabus perquam longis, apice lamina ovali. Hæ duæ pennæ venduntur in Yemen pretio ½. Imperialis; illisque Monticolæ tiaras ornant feſtivis diebus. Ipſa avis inter rariſſimas habetur. Prope Beit el fakíh volantem vidi. Ipſa, quaſi curam gereret Rectricum, ne in anguſto lædantur nido, dum circumeat & ſe vertat; duabus illum patefecit portis, ut liber & rectus ſit utrinque egreſſus.

AMPHIBIA.

α) DESCRIPTA.

1. TESTUDO terrestris. *Zolhafæ* زلحفه vel *Buzi.*
2. LACERTA a) nilotica. *Varan*, ſerpentibus inimica. An Arabum *Varar*? ورر
3. b) ægyptia. *Dabb.*
4. c) ocellata; domeſtica. *Sehlie.*
5. d) gecko; *leproſa*. *Abu burs.* ابوبرص
6. COLUBER a) lebetinus: ſomniferus. *Aſpis?* Κȣφη.
7. b) guttatus: innocuus. *Tæban.*
8. c) haje: حيه Funeſtus, collo inflato. *Naſcher.* ناشر
9. d) dhara: cupreo-cinereus.
10. e) schokari; شقاري vittatus: inermis.
11. f) bætæn: بتن maculatus: lethalis.
12. g) hölleik: هليك ruber: ardens.
13. h) hannasch asuæd: حنش اسود niger: innocuus.
14. RAJA a) torpedo. *Raaſch.* رعاش
15. b) lymma: لا cæruleo-maculata.
16. c) sephen: سفن α) pterouros, aculeis caudæ ſerratis.
β) *Uarnak;* ورنك cauda apterygia.
17. d) djiddensis: maxima. *Rger.* رقيط
18. e) halavi: حلوي rhinobates.
19. SQUALUS carcharias. *Gerſch.* قرش
α) minor. *Alka* vel *Æas.* عوس
β) major. *Zyfa.* زفا

β) NOMI-

β) NOMINATA.

1. TESTUDO a) MARINA. In mari Syriaco.
2. b) TRIUNGUIS. *Tirſe.* In *Nilo* rarior.
Pedibus pinni-formibus; omnibus tri-unguiculatis; dorſi diſco rugoſo, orbiculato, limbo depreſſiore, lævi; naribus in cylindro elevato & ultra caput prominente.
3. LACERTA a) HARBAI. حربايه In deſertis KAHIRINIS.
Cauda imbricata, longa; pedibus 5-dactylis; brachiis ſerie verrucarum.
4. b) AGILIS. *Orbanæ.* عربانه vel *Sohala.* HADIE.
5. c) CHAMÆLEON. *Fochacha.* Hadienſibus *Makrif.* مقريف In ſcriptis Arabum ſonat *Harba.* حربا
6. d) ÆRDAN. HADIE.

SERPENTES; *obſcuræ; arabicæ.*

7. a) HANNASCH ÆBER, i. e. *Serpens cinerea.* Collum expandens irata.
8. b) ÆRKAM. عرقم cinerea.
9. c) BÆSCHASCH. *Ceraſtes cornutus?* An ejusdem ſpeciei cum Serpente DATAN *cornuta*, quæ cuniculos agit in terra ſicca & laxa? Si viator ſcrobem pede premit, *Datan* lethaliter mordet.
10. d) TIRRALL. e) ASRUD.
f) JABES EL AGFAR. g) MHARRAK.
h) SUÆRI. i) HOUAL.
k) SELL. l) ÖSFAN.
m) SULTAN EL HANNASCH, ruber. n) MOUAS.
11. RAJA: a) TORPEDO? Μȣδιάςρα. In *Archipelago.*
12. b) OMM ES SCHERIT. ام الشريطه Cauda tereti, maculata: Piſcis ſimillimus Rajis Uarnak & Arnak.
13. c) ARNAK. *Lobajæ.*
Dentibus granulatis; corpore orbiculato, argenteo; cauda tereti, apterygia, ſpinis duabus.
14. d) TAJARA. طياره *Djiddæ.* HÖRRÆKA: *Lobajæ.*
Cauda tereti; ventre niveo. Capta, vehementer pinnis verberat.
15. e) SCHOUKIE. *Djiddæ.*
Aculeis remotiuſculis. E pelle hujus Rajæ conficiuntur in urbe *Suaken* Vaginæ gladiorum.
16. f) MULAY ملاه pelagica. *Djiddæ*, rarior.
Cauda tereti, variegata: ventre niveo: aculeo caudæ admodum nocivo. Nocturno tempore propius ad littora venit.

17. SQUALUS: a) MASSASA, *Djiddæ;* MAFREKA, *Lobajæ.*
Dentibus nullis; pinnis pect. longis. A Charcharia diverſus.
18. b) PRISTIS. ABU MINSCHAR, ابو منشر *Djiddæ.* SCHÆKRA, *Lobajæ.*
19. c) KUMAL. Dentibus nullis; pinnis pect. brevibus; cirrhis oris quatuor.
20. d) KELB EL BAHR: i. e. *canis marinus.*
21. e) ZYGÆNA. *Kornæ* قرنة vel *Mokarran. Maſcatenſibus* vocatur *Abu kott.*

Rarus ad littora Arabiæ. Coenoſum fundum amat; non coralliferum, vel pelagum. Homini infeſtus, Carcharia pejor. Rajas devorat. Foemella gravida pullis 10. vel 12. Maſcatenſes nautæ Carnem lubenter edunt; & aphrodiſiacam putant. Ventriculo inverſo hepar injiciunt, quod cito ſolvitur in axungiam.

PISCES.

α) DESCRIPTI.

1. MURÆNA a) GUTTATA. *Sjææka.*
2. b) CINEREA; ſuſpecta; *Sjæga.* شاقة
3. GADUS vel novum genus SALARIA. Σαλάρια.
4. BLENNIUS GATTORUGINE; torvus. *Koſchar ed djin.* كشر الجن
5. GOBIUS a) ANGUILLARIS; minimus.
6. b) NEBULOSUS, pinnæ d. radio prolongato. *Hout ed djinn.* حوت الجن
7. COTTUS a) MASSILIENSIS, ambiguus. Gall. *Raſcaſſe.*
8. b) INSIDIATOR. *Rogad.* راقد

SCARUS: novum genus. Σκάρος.

9. a) RIVULATUS: *Djezavi* vel *Sigân.* سيجان nov. genus: SIGANUS.
10. b) STELLATUS. *Ghæjtbân.* غيتان
11. c) GALLUS; venenatus. *Dîk el bâbr.*
12. d) PURPUREUS; pſittacus marinus. *Durrat el bâbr.* درة البحر
13. e) GHOBBAN; lituratus. *Ghobban.*
14. f) NIGER. *Chadri.*
15. g) FERRUGINEUS; ore viridi. *Abu meles.*
16. h) PSITTACUS; viridi-flavus. *Durrat el barr.* درة البر
17. i) HARID. Cauda baſi ſquamoſa. *Harîd.* حريد
18. k) SORDIDUS; fuſco-ferrugineus. *Biſſ.*
19. MULLUS a) AURIFLAMMA; vittis aureis. *Ambîr.* عنبير
20. b) VITTATUS; quinque-faſciatus. *Abu dagn.* ابودقن

21. SPARUS

21. SPARUS a) NILOTICUS; recte *Labrus julis.*

22. b) SARBA; argenteus. *Arid.*

23. c) SPINIFER; quinque-filaris. *Naddjar.* نجار Conſtantinopoli *Merdjan.*

24. d) BERDA; ſpinis baſi bulboſis. *Abu baſal* vel *Nezi.* نزي Lohajæ.

25. e) HAFFARA; lineis flavis 14. *Haffâra.* حفاره

26. LABRUS a) PERDICA; vittis dentatis. Πέρδικα.

27. b) INERMIS; nigro-guttatus. *Ghaſſek.* غسق

28. c) RAMENTOSUS; ramentis longis.

29. d) ÖYENA, labio prolabente. *Abu öyena* vel *Kuvêr.* كوير Lohajæ.
β) *Gaſa;* قاصه vittis rubris.

30. e) SCINA; abdomine recto. Σκίνα.

31. f) LAPINA; rubro-maculatus. Λαπίνα.

32. g) CHANUS; lineatus. χάνι.

33. h) OCELLATUS; ocello coccineo.

34. i) LUNULATUS; ſquamis faſciatis. *Abu djubbe* vel *Dîk.* ديك
β) lineis radiantibus circa oculos.

35. PERCA a) LOPHAR, pinnis V. adnatis. Λοφάρι.

36. b) ROGAA; ſubnigra. *Rogáa.* رقع

37. c) LUNARIA; P. C. macula lunata. *Bint er robbân.*

38. d) TAUVINA; longa, rufo-guttata. *Tauvîna.* توينه

39. e) FASCIATA. An Perca?

40. f) LOUTI; cauda bi-falcata. *Louti.* لوتي

41. g) MINIATA; rubra; cæruleo-guttata. *Zarbûn.* زربون
β) *cæruleo-ocellata. Bælâh.* باح
γ) *cæruleo-guttata, major. Nadjil.*

42. h) SUMMANA; albo-guttata; fuſca. *Summân.*
β) *fuſco-guttata. Kaſſjara.*
γ) *ſciæna nilotica.* Λάβραξ.
δ) *areolata. Daba.* ضبع

43. i) LINEATA, lineis nigris. *Djeſâuvi.*

44. SCIÆNA a) HAMRUR; ſquamiceps. *Abu hamrûr.*

45. b) FULVIFLAMMA. *Abu noqta.* ابو نقطه

46. c) KASMIRA; quadrivittata. *Kaſjmiri.*

47. d) BOHAR; dorſo recto. *Bohar.* بهار

48. e) GIBBA; dorſo gibbo. *Nagil.* ناقل

49. f) NIGRA. *Gatîe.* قتيه

50. g) ARGENTI-MACULATA; dentibus faſtigiatis. *Schâafen.* شعفن

51. h) RUBRA; fronte ſpinoſa. *Atâja.* عطايه

52. SCIÆNA i) MURDJAN; labiis retuſis. *Murdjân.* مرجان

53. k) SAMMARA; albo-ocellata. *Farer.* *M'ſämmer.*

54. l) SPINIFERA; capite ſpinoſo. *Gabâja.* قهايا

55. m) ABU SAMF. ابو صنف

56. n) GHANAM. غنم

57. o) JARBUA; faſciis circinatis. *Djarbua.*

58. p) STRIDENS. *Korkor.* قرقر

59. q) GATERINA; fuſco-guttata. *Gaterîn.* قطرين

β) *gaterina minor.*

γ) *media maxilla edentula. Schotaf.* شطف

δ) FÆTELA: فتلة maxima.

60. r) ARGENTEA; nigro-guttata. *Nagem.* ناقم

61. s) NEBULOSA. *Schaur.* شعور

β) *violaceo-faſciata. Abu hamrûr.*

62. t) MAHSENA; transverſim faſciata. *Mohſeni.* محسني

63. u) HARAK; pinnis rubris. *Abu m'hârrak.*

64. v) OBSOLETA; flavo-violaceo-lineata. *Ramak* رمك

β) *lamina maxillari. Dib.*

γ) *Suli. Djard. Mork. Saka. Kerſit.*

65. w) GRANDOCULIS; cæruleſcens. *Abu æjn.* ابو عين

66. x) CINERASCENS. *Tâhmel.* تهمل

67. y) SAFGHA; maxilla inferiore longiore.

68. z) ARMATA; nucha ſpinifera. *Galemfiſh.*

69. SCOMBER a) LYSAN; ſpinis d. 7, diſtinctis. *Lyſan.*

70. b) SPECIOSUS; aureus, faſciis nigris alternis. *Rîm.* ريم

71. c) FERDAU; quinque-faſciatus. *Ferdau.*

β) linea laterali elata, carinata. *Bajad.*

72. d) IGNOBILIS; argenteo-cæruleſcens. *Kirb.* قرب

73. e) FULVO-GUTTATUS. *Gæzz.* قز

74. f) SANSUN; immaculatus. *Abu ſanſun.*

75. g) DJEDABA; cauda ſine carinis. *Djedaba.* جدبة

76. h) FALCATUS; pinna dorſi & ani falcata. *Hogel.* هقل

77. i) EQUULA; gibbo duplici. *Abu kurſe.* ابو كرسه

β) *minimus. Melliet.*

78. k) RHOMBEUS. *Abu gurr.* ابوقر

79. CHÆTODON a) ORBICULARIS; dorſo aſcendente *Kanaf.*

80. b) FASCIATUS; flavus. *Tabak el kûs.*

81. CHÆTODON c) AURIGA; radio quinto filari. *Mókti.* مغطي — Chaetodon auriga Forsk.
82. d) TEIRA; pinna dorſ. corpore duplo longiore. *Teyra.* طيرة — Platax teira
83. e) MESOLEUCOS; hinc albus, inde fuſcus. *Hadjan* — Chaetodon mesoleucos
84. f) ASFUR; faſcia lunari. *Aſfûr.* عصفور — Holacanthus asfur
β) *cæruleſcens. Hæddaja.* — " maculosus
85. g) MACULOSUS; cinereo-cæruleus. *Aruſa.* عروسة — " maculosus
86. h) SAXATILIS. *Gatgut.* قنقوت — Glyphidodon saxatilis
87. i) SORDIDUS; fuſco-cinereus. *Abu deſdûf.* ابودفدوف — " sordidus
88. k) UNICORNIS; fronte cornuta. *Abu garn.* ابوقرن — Naseus unicornis
89. l) SOHAL; foſſula vulneriformi. *Sohal.* سحل — Rhombotides soha
90. m) NIGRO-FUSCUS. *Tæga.* تقع — " nigrofuscus
β) *Gahhm.* — " gahhm
91. n) BIFASCIATUS. *Rabâgi.* رباقي — Sparus bifasciatus
92. o) PICTUS; albidus, violaceo-lineatus. — Chaetodon pictus
93. p) *Abu dafur.*
β) *Jabûd* جبود
γ) *Hanni.*
94. SILURUS a) DOCMAK; radio oſſeo. *Doqmâq.* دقماق — Bagrus docmak
95. b) BAJAD; بياض niloticus. — " bajad
96. c) CORNUTUS; roſtro recurvo. Gall. *Chardonneret.*
97. SALMO α) *dentex. Roſchâl.* رشال — Hydrocyon Forskalii
β) *niloticus. Rai.* — Alestes dentex
98. ESOX α) MARGINATUS; abdomine marginato. *Gambarur.* قنبرور — Hemirhamphus marginatus
β) *Far.* فار Lohajæ. — " far Rüpp.
γ) *belone. Chærman.* خرمان Conſtantinop. Græcis Βελανίδα. Turc. — Mastacembelus
Sargan baluk, i. e. *piſcis cornutus.*
99. ARGENTINA a) GLOSSODONTA; lingua tuberculis oſſeis. *Bönuk.* بنك — Conorhynchus glossodon
100. b) MACHNATA; oſſiculo maxillæ infer. *Machnat.* — Elops saurus L.
101. ATHERINA a) HEPSETUS. *Geſchguſch.* Conſtantinopoli vocatur Græcis Αθερίνα.
Turc. *Djumiſj baluk*, i. e. *piſcis argenteus.*
102. b) SIHAMA; thoracica. *Sihâmi.* — Sillago sihama Rüpp.
103. CYPRINUS a) BYNNI; niloticus. *Bynni.* — Barbus bynni
104. b) NILOTICUS. *Lebes.* لبيس — Labeo niloticus
105. c) LEUCISCUS: *Abu grymbi.*
106. CLUPEA a) HAUMELA; polita. *Haumela.* — Enchelyopus haumela
107. b) ENCRASICOLUS. *Bœlama.* — Engraulis boelama
108. c) DORAB; dentex. *Lyſan Dorab.* — Chirocentrus dorab

109. MUGIL a) CRENILABIS. *Arabi.*
β) *Sebeli*: integris labiis.
γ) *Öûr*: عور labiis ciliatis.
δ) *Tâde*: طادة labio unicarinato.
110. b) CHANOS; pinna D. unica. *Anged.* عنقد
β) *magnus.* Χάνος.
111. MORMYRUS KANNUME; قنومه roſtro prominente.
112. BALISTES VERRUCOSUS. *Azzazi.* عزازي
113. OSTRACION TURRITUS; dorſo gibbo. *Djemel.*
114. TETRAODON, LINEATUS. *Fahaka.*

β) NOMINATI.

(*Smirnæ & Conſtantinopoli; poſtea quoque in Arabia obſervati.*)

1. MURÆNA a) *anguilla.* Αχέλι. Ar. *Tæjeban* ثعبان vel *Hannaſch.*
2. b) *ophis.* Χέλι. Lohajæ *Far.* Djiddæ *Uuz.*
3. URANOSCOPUS *ſcaber.* Turc. *Kurba.* Conſtantinop. Βάτραχος. Smirnæ Βȣφος vel Λύχνος.
4. TRACHINUS. Δρακαίνα. Acutiſſime pungit.
5. GADUS *mediterraneus.* Γάλια. Turc. *Djelindſjik balük.* Pinna D. unica; nam prioris pinnæ loco non ſunt niſi ramenta tenuia in ſulco depreſſo.
Gadum Σαλαρὶα, ſolent Græci infantibus offerre pro medicamine maſticatorio, dum ſaliva nimis defluit.
6. OPHIDION. Arab. *Abu gudda.*
7. ECHENEIS *neucrates.* Djiddæ *Keide* قيدة vel *Kaml el Kerſch*; قمل القرش id eſt; *pediculus Squali Carchar*, quia ſæpe adhæret tenaciter huic piſci. Lohajæ *Keda.*
8. GOBIUS a) *paganellus.* Γοβιὸς.
9. b) *aphya.* Κοβίδια. Turc. *Kaja baluk.* Arab. *Bukruſch.* Conſtantinopoli obſervatus. Pleriſque Rad. 15. pro 17. in P. D. ſecunda; & P. V. rufeſcentes fornicatæ.
Duo inventi, quibus P. D. ſecunda rad. 17. Horum P. V. planæ & nigreſcentes. Alter pinnas omnes fuſcas habebat, nec faſciatas, præter primam dorſi. Caput nigrum; quod communiter ſolet eſſe ſubtus album, maculis fuſcis.
10. SCORPÆNA *porcus.* Σκορπήνα. Turc. *Scorpit baluk.* (*Balük* Turcico idiomate *piſcem* deſignat.)

11. PLEU-

11. PLEURONECTES a) *ſolea.* Γλόσσα. Turc. *Dil baluk.* Arab. *Samak muſi*, i. e. *Piſcis Moſis.*

12. b) *papilloſus.* Πίσι. Turc. *Piſſi balük.*
Non facile papilloſus; nam radii D. 65. pro 58. V. 6. 7. pro 5. 6. A. 49. pro. 42.

13. SPARUS a) *ſalpa.* Σάλπα.

14. b) *mormyrus.* Μȣ́ρμȣρ.

15. c) *pagrus.* Μερτζιανι. Turc. *Mertſan.* nomen Perſicum. Venter a capite ad anum fere rectus; unde habitus Triglæ.

16. d) Μαυρόψαρο: lineatus, ovalis; cauda bifida; vertice lævi; corpore albo, lineis flavicantibus interceptis in medio latere.
Radii D. $\frac{11}{24}$. P. 15. V. $\frac{1}{6}$. A. $\frac{3}{14}$. C. 17.

17. e) *annularis.* Σπάρος. Turc. *Smarid.* Arab. *Háros.* Corpus ovale. Ad caudam non ocellus, ſed macula nigra. P. V. flava.

18. f) *melanurus.* Μελανȣ͂ρα Arab. *Kabli* vel *Schargûſch.*

19. g) *crenidens.* Djiddæ *Raſan.* Sués *Boteit* بطيط vel *Erſan.* Crenidens Forskalii Cu
Opercula inermia. Foſſula in dorſo. *Color* argenteus, lineis longitudinalibus, obſcuris. *Dentes* lati, una ſerie, trifidi. In utraque maxilla tuberculi hemiſphærici. *Linea lat.* dorſo propior. Longitudo piſcis ſpith.
Loca coenoſa & corallifera inhabitat frequens. Hamo venatur.

20. h) *ſargus.* Ασκάθαρος.

21. i) *mæna.* Σερȣ͂λα.

22. k) *cantharus.* Oblongus, vertice rugoſo. Βȣ͂πα. Turc. *Vupa.* Arab. *Mâſi.* An idem cum *Sp. boope?* vel Γȣ͂πα. Smirnenſium?

23. l) *ſtrongilus.* Στρόγγιλο Turc. *Strongil.* Arab. *Guegâra.*
Oblongus, ſub-lineatus, *ſulco* elevato, longitudinali, lævi, in vertice. Lineæ longitudinales, flavicantes, obſoletæ. P. Pect. & V. fulvæ, margine interiore albo. P. C. & D. fuſco-flavæ. Parvus, Sardella non major.

24. LABRUS a) *ſtriatus.* Πετρόψαρον. Græcorum Literatis: Πέρνυξ.

25. b) *tinea.* Arab. *Châddæjr.*
P. Pect. flavis; V. viridibus. P. A. C. & D. viridibus, maculis violaceis.

26. PERCA? Σȣλȣ͂βαρδο. Arab. *Ugar* vel *Guaza;* aliis *Örfuſa*; an idem?
P. V. membrana coadunata. Opercula Br. ſerrata.
β) *Alia minor;* forte varietas. Ρȣφὸ.

27. SCOM-

27. SCOMBER a) *pelamis.* Παλαμίδα. Turc. *Palamít.* lineæ 4. nigræ corporis laterales non manifeſtæ.

28. b) *ſcombrus.* Κολιός. Turc. *Kolios-balük.*

29. c) *trachurus.* Σταυρίδια. Turc. *Staurit-balük.*
Spina ante pinnam D. primam, tecta cute tam tenera, ut ſæpe prorumpat & videatur nuda.

30. d) *thynnus?* Arab. *Kænad.* In *Mari rubro.*
Pinnis ſpuriis ſuperne & inferne 10; radiis P. D. primæ 16. Longitudo 1. uln.

31. MULLUS *barbatus.* Βαρβȣνι. Turc. *Tekir.*
Eſca vulgaris & faſtidita Conſtantinopoli; Romanis olim ichthyophaga & pretioſa luxuria.

32. TRIGLA *gurnardus.* Χελιδωνόψαρο. Turc. *Kirlanidſj-balük.*
P. Pect. ſuperne bruneis, faſciis undulatis, obſcure cæruleis; margine apicis dilute cæruleo, ſubtus vireſcente.

33. SILURUS a) *myſtus.* Arab. *Schilbe.* شلبة

34. b) *anguillaris.* Arab. *Harmuth.*

35. c) *clarias.* Arab *Schilân.* شيلان

Plotosus arab. Al... 36. d) Arab. *Boa* vel *Buja.* بوجع Mocchæ.
P. Dorſi prima radiorum 5; poſteriori cum pinna C. & A. in unam connexa. Cirrhi 8. Vittæ 3. laterales albidæ, longitudinales. Corpus fuſcum.
Rad. B. 8. D. $\frac{1}{5}$. P. $\frac{1}{11}$. V. 12.

Sphyraena agam Rüpp. 37. ESOX *ſphyræna.* Arab. *Mughſil* vel *Agam*, vel *Gædd.* قد Squamis magnis; corpore long. 3. uln.
β) *Minor*, ſquamis parvis. Arab. *Djadd.*

38. MUGIL *cephalus.* Κέφαλος. Turc. *Kefal-balük.* Arab. *Buri.* بوري Aliis *Mukſchen.*
β) *minor*; an varietas? Κεφαλόπȣλο. Arab. *Gabbaſj.* tempora migrandi obſervat periodica.

39. EXOCOETUS a) *volitans.* Arab. *Djerâd el bâhr*, جراد البحر i. e. *Gryllus marinus.* Djiddæ *Gharâra.* Mocchæ *Sabari.*
Toto itinere navali vidimus hunc piſcem ſubinde catervatim volantem. Habitat ſine dubio in Mari rubro, inde tamen minime ſequitur, eum fuiſſe Hebræorum *Selau*, & ad caſtra usque Iſraelitarum volitaſſe.

40. b) *non volitans*: alius eodem nomine arabico, & huic ſimilis; ſed macerrimus, meris quaſi oſſiculis conſtans.

41. CLU-

41. CLUPEA a) *harengus.* Ἄρεγγα.

42. b) *alosa.* Σαρδέλλα vel Σαυριδηπόλαμȣ. Turc. *Sardella - balük.* Arab. *Saghboga.* Macula nigra pone branchias; pinnæ D. & C. albidæ, apice nigræ.

43. c) Γῶνος.

44. d) *charact. harengi;* ſed minor. Arab. *Sirm.* سرم 44. Clupea Sirm Fab.

Maxilla inferiore longiore; corpore tripollicari; macula aurea pone oculos.

Rad. B. 8. D. 19. P. 16. V. 8. A. 17. C. 18.

45. e) *Schâleb* شالخ quod nomen parum differt a voce *Slavon. Saláka.*

Parva, digiti longitudine; argentea; utrinque vitta laterali fulva; dorſo cæruleo. Vivam non vidi; ſed deglutitam a Scombro reperi.

46. BALISTES a) *aculeatus; major:* Arab. *Schaaram.* شعرم

Quinque ſeriebus aculeorum in cauda. Piſcis inſipidus & foetidus.

47. b) *minor*, duplici ordine aculeorum; corpore lineis flavis, obliquis.

48. OSTRACION *cubicus.* Arab. *Abu ſendûk* ابو صندوق

Sapidiſſimus. Solent piſcatores ventrem reſecare & carnem eximere.

49. TETRAODON a) *ocellatus?* Arab *Drimme* vel *Karrat.*

Lineæ flavæ circa pinnas Pect. Corpus ſupra fuſcum, maculis cæruleo-albidis.

Fabula narrat: hunc piſcem e Pharaonis cadavere guſtaſſe; unde tota progenies carnem inſalubrem contraxit, noxiam hominibus.

50. b) *hiſpidus?* Arab. *Edjlis* عجلس Lohajæ. Totus fuſcus, areolis contiguis, papilliſque albis.

51. c) *Abu-Kobbla.* Arab. ابو كعبلة

52. DIODON *hyſtrix.* Arab. *Schokia* شوكية vel *Abu mechajat.* Maculatus; in ventre duæ venæ venenatæ.

53. CENTRISCUS *ſcutatus.* Arab *Farras el bâhr* vel *Keſâb el bâhr.* Amphisile punctulata Fa

Eſt piſcis abdominalis non thoracicus; nam Membr. Br. radiata juxta aperturam branchialem, ut reliqui piſces ejusdem ordinis *Fiſtulariæ* proximus eſt.

Rad. B. 4. D. 3. 10. P. 11. V. 6. A 11. C. 9. *Lohajæ.*

54. SYNGNATHUS *pelagicus.* Arab. *Abu zummâra.* ابو زمارة

Corpus heptagonum; cauda trigona.

55. Naqua; piſcis maris rubri obſcurus; (an *Sciæna* 48.?) Multum expetitus ob *dentes* duos majores; æſtimatos pretio inſigni. Uſum neſcio.

56. Daredj et tin. دارج الطين (obſcurus) Eſt Hebræorum תחש

CATALOGUS
PISCIUM MELITENSIUM.

A MEDICO DOCTISSIMO COMMUNICATUS.

DELPHINUS *orca.*	(*Melit.*)	*i Delfin.*
delphis.		
RAJA *altavela.*		*il Hamiema.*
torpedo.		
paſtinaca.		
aquila.		*il Hamiema.*
batis.		*il Raja.*
mus marinus. (piſcis novus.)		
SQUALUS *priſtis.*		*il Sia.*
catulus.		*il Ruſetta.*
ſpinax.		*il Chelp il Babar.* eſt Arab. *Kelb el babr.* cfr. Syſt Amphib. β. 20.
zygæna.		*il Martel.*
ſquatina.		
lamia.		*il Gabdol.*
centrina.		
ACIPENSER *ſturio.*		
huſo.		
PETROMYZON *lampetra.*		
muſtela.		*il Muſtilla.*
LOPHIUS *piſcatorius.*		
OSTRACION *gibboſus.*		
lagocephalus.		
hyſtrix.		*il Rizza.*
capite teſtudineo.		
mola.		*il Kamar.*
GASTEROSTEUS *aculeatus.*		
pungitius.		
ſpinachia.		*l' Iſpnotta.*

BALISTES *ſcolopax.*		
CHÆTODON *paru.*		
vetula.	(*Melit.*)	*il Hagiuſa.*
ZEUS *aper.*		
gallus.		*i Serduk.*
faber.		*l' Aurata.*
COTTUS *ſcorpius.*		*i Scorfua.*
dracunculus.		
TRIGLA *milvus.*		*il Taira.*
lucerna.		*i Tigiega.*
gurnardus.		
lyra.		*il Triglia.*
cuculus.		
MULLUS *ſurmuletus.*		
SCORPÆNA.		*i Cippullazza.*
ſcorpius.		*il Mazzun.*
TRACHINUS *draco.*		*il Majuro ta rocca.*
PERCA *lucioperca.*		
aſper.		
cernua.		*i Cerna.*
labrax.		
SCIÆNA *umbra.*		
umbrina.		
SPARUS *auratus.*		*l' Aurada.*
cantharus.		
erythrinus.		*il Pagella.*
pagrus.		*il Pagru.*
dentex.		*i Dentici.*
mænas.		*il Minnula.*

SPARUS

Sparus *ſmaris.*		
ſparus.	*(Melit.)*	*i Spargu.*
melanurus.		
ſalpa.		*i Scilpa.*
Labrus *turdus* vulg.		
turdus virid. minor.		
pavo.		
ſcarus cretic.		
julis.		*il Haruſa.* Arab. *Aruſa.* cfr. Chætod. 85.
ſachettus.		
ſcarus varius.		*il Bricheſe.*
Mugil *cephalus.*		*il Caplar.*
Scomber *thynnus.*		*Itton.*
ſcombrus.		
trachurus.		*Savrella.*
amia.		
glaucus.		
Xiphias *gladius.*		*il Piſci ſpat.*
Gobius *niger.*		
paganellus.		
aphya.		
jozo.		
Blennius *alauda.*		
galerita.		
gunellus.		
galea.		
muſtela.		
pentadactylus.		

Ophidion *gryllus.*		
Muræna *anguilla.*	*(Melit.)*	*il Sallura.*
myrus.		
ſerpens marinus.		*il Serpt al bábar.*
conger.		*l' Inſella.*
ſerpens maculatus.		*il Murina.*
Gadus *aſellus varius.*		*l' Aſuelli.*
ægleſinus.		
barbatus.		
merluccius.		
aſellus vireſcens.		
aſellus mollis.		*il Munckaro.*
Anarhichas *lupus marinus.*		
Ammodytes *tobianus.*		
Coryphæna *hippurus.*		*i Lampuca.*
novacula.		*il Jaufru.*
pompilus.		*i Stellara.*
Pleuronectes *limanda.*		
hippogloſſus.		
linguatula.		*il Linguada.*
rhombus.		
pſetta.		
Echeneis *remora.*		
Esox *lucius.*		*i Trigle.*
bellone.		
acus.		
Osmerus *eperlanus.*		
ſaurus.		
Clupea *aloſa.*		
encraſicolus.		*il Sardella.*

INSECTA.

α) DESCRIPTA.

1. SILPHA multistriata.
2. CHRYSOMELA viridi - cærulea.
3. CICINDELA littorea; lunulis albis marginalibus.
4. CARABUS serrator, albo - maculatus.
5. TENEBRIO a) arundinaceus; alatus.

   Eadem frumenti pernicies quæ huic Tenebrioni adſcribitur Arabiæ ruricolis nota eſt; meridionales vocant *Ökab;* عقب Lohajen-ſes *Chormudj.* خرمج Ipſa vero Inſecta mihi non innotuerunt.

Apteri:

6. b) ægyptius; planus.
7. c) lævis; nitens, marginatus.
8. d) hispidus; elytris tuberculatis.
9. e) vulgaris; thorace acuminato.
10. f) polychrestus; elytris mucronatis.

    (d–f:) Arab. Ægypti *Ghomſſj.* خنفس Yemen: *Fæzaz* vel *Homæje.*

11. g) cothurnatus; dorſo ſurgente.
12. h) alexandrinus; thorace ſpinoſo.
13. i) spinosus; elytris ſerratis.
14. GRYLLUS a) viridis; macula flava.
15. b) gregarius; migratorius. *Djerâd.* جراد
16. c) monstrosus, abortivus.
17. PHALÆNA profuga; noctua.
18. CYNIPS sycomori, aptera. *Nanûs djummeiz.*
19. VESPA quadripunctata; *Kâbirina.*
20. FORMICA a) salomonis.
21. b) edax; omnivora.
22. c) maligna; uniſquamoſa. *Kâamûs.*
23. d) animosa; rubra. *Kaas.*

    β) dharr; binodis, rubra, parva, ſolitaria.

    γ) insultans; nigra.

24. TABANUS testaceus. *Tajaq.*
25. CULEX molestus.
26. ARANEA a) sector; abdomine 8 - dentato. *Næma.* نعمه
27. b) citricola; abdomine bidentato.
28. c) rivulata; albo - fuſca.
29. d) insidiatrix; tela laqueata.
30. e) trifasciata; lineis novem nigris.

31. SCOLOPENDRA adhærens; flava. *Omm arba u arbaeju.* ام اربع واربعين
32. LARVA obſcura: (forte e Claſſe Vermium)
33. CANCER a) saratan; cantho oculorum mucronato. *Saratân.* سرطان
34. b) convexus.
35. c) messor; chelis inermibus.
36. d) pinnotheres; manibus incurvis.
37. e) pelagicus *Abu djalambu.*
38. f) antennatus; antennis thorace longioribus.
39. g) cubicus; thorace aculeato.
40. h) niger; thorace 5-tuberculato.
41. i) serratus; thorace 9-dentato.
42. k) bidentatus; thorace 2-dentato.
43. l) tridentatus; thorace tridentato.
44. m) lunaris; Rumphii.
45. n) segnis; fronte 4-dentata.
46. o) incanus; hirſutus, ſenilis.
47. p) pellitus; thorace 5-dentato.
48. q) cornutus. *Renaiſe de la mer?*
49. r) sulcatus; ſulcis anfractuoſis; oculis pedicellatis.
49.* s) verrucosus; *pagurus;* thorace 6-dentato. Παγȣ̃ρι.

(*Brachyuri.*)

Canceris, imprimis Ἀςακὸς delectantur Græci. Turcæ eſcam e Cancris vel cochleis paratam abominantur.

50. t) scævola; chelis muricatis.
51. u) ambidexter; cauda aphylla. *Komikom.* خمخم
52. x) lagopodes; pedibus hirſutis.
53. y) tinctor; forfice violaceo.
54. z) squilla; glauca. *Bargut.*
β) fasciata. *Önſul.*
55. aa) sublucanus; niger & rubens.
β) lucidus; albo-lineatus.
56. bb) custos; pellucidus.
57. cc) acanthurus; cauda ſcutis ſetoſis.
58. dd) kerathurus; cauda cornu unidentato.
59. ee) sedentarius; pedibus utrinque 10; domifex.
60. ff) falcatus; manibus falcatis, gibbis.

(*Macrouri.*)

61. TERMES destructor; fatale. *Arda.* ارضة
62. PANORPA halterata; diptera, halteribus prælongis, clavatis.

β) INSECTA OBSERVATA.

In littoribus Imros: Tenedos: Natoliæ.

1. SCARABÆUS a) AURATUS. In Arabia *Djæall. variat:* nigricans.
2. b) VARIABILIS: elytris latere emarginatis.
3. c) VIRIDULUS. Μαμȣνι.
4. d) PILULARIUS.
5. COCCINELLA a) 7-PUNCTATA. Arab. *Dûde* دوده vel *Kermes.* قرمز
6. b) 11-PUNCTATA.
7. c) 22-PUNCTATA; flava.
8. CHRYSOMELA a) CORDIGERA; thorace non variegato.
9. b) GRAMINIS; foemella rubra.
10. c) SERRATICORNIS; cylindrica, cinerea; antennis ſerrato-pectinatis.
11. BUPRESTIS NIGRA.
12. TENEBRIO CÆRULEUS; apterus.
13. MELOE a) CICHORII. Μαȣροπȣ̃λι. *Mas* ruber; foemella flava. Frequens in floribus.
14. b) MAJALIS? Kâhiræ, *Drarich.* ذراريح Yemen, *Zonvich.* Elytris rivuloſis, vireſcentibus, tuberculis planis, maculis dorſalibus obſcure-cupreis; ſubtus ad ſegmentorum ſuturas faſciis cupreis.
15 FORFICULA MAJOR. ψαλȣ̃δα.
16. BLATTA a) ÆGYPTIACA. *Surſur.* صرصر *Alexandriæ* domeſtica.
17. b) ORIENTALIS. *ibid.* grandis; in ædibus obvia.
18. GRYLLUS a) VULGARIS. Απίδαλα vel Κȣτάλλαφας. Alis ſubtus rubris. *Variatio:* alis totis rubris.
19. b) FLAVUS.
20. c) CÆRULESCENS; circa *Conſtantinop.* Alis cæruleis.
21. d) TURRITUS. Ακρίδα vel Λαφάχα.
22. e) MANTIS. Ἄλογο τῆς γῆς; i. e. *equus terræ.* Cinereus.
23. f) CRISTATUS? In deſertis *Kâhirinis.* Arab. *Djachdat.* جخدت Alis inferioribus viridi-cæruleſcentibus, faſcia poſtica fuſca. Arabibus non eſculentus; quamvis ita refert *Haſſelquiſt.*
24. g) IBN ED DUBB. ابن الدب *ibid.*
25. h) CINEREUS; faſciis tribus nigris. *ibid.*
26. CIMEX a) BACCARUM; thorace ſpinoſo.
27. b) EQUESTRIS.
28. c) APTERUS.

29. CIMEX

29. CIMEX d) LINEATUS.
30. e) GRISEUS; oblongus, dorſo medio flavo.
31. f) ÆGYPTIUS; in omnibus plantis ſucculentis poſt meſſem reſiduis in agris Ægypti, cimici huic quaſi deſtinatis ad pabulum.

Varietatem? inveni habitantem in *Natolia*, alis albis; apice elytrorum membranaceo, atro.

32. CICADA MANNIFICA.

OBS. Dum Monaſterium Græcorum *Raithu* dictum, in regione celebri *Elim* adivi, retulit mihi Sacerdos *Mannam* decidere hyemali tempore ſimul cum pluvia, ejusdemque eſſe ſpeciei cum Manna ſacra Iſraelitis e cælo decidua. Addidit quoque fide monachali, rorem hanc nullibi, niſi ſupra tectum & aream Monaſterii reperiri, & ſæpius ſe illam vidiſſe atque guſtaſſe. Hic mea ſubſtitit fides. Eruditi noſtri, qui miracula leviſſimo ſcientiæ naturalis artificio expedire ſolent, & pluviam hanc manniferam e *Cicadarum* roſtro excutiunt, anxie cauſam eandem his in locis quærerent, nudis, & fruticulis vix veſtitis, ubi Cicadas majores nec ego, neque Socii itineris vidimus ullas. Quum locus Hortis Palmiferis abundat, cauſa roris hujus magis Naturæ congrua ſublucet. (Plura ad hanc rem ſpectantia vide in *Deſcr. Arabiæ Editoris* p. 145. ſeq.)

33. NOTONECTA; a) GLAUCA. In fonte habitat Inſulæ *Imros*.
34. b) ALBA; elytris griſeis, immaculatis. *Alexandriæ*.
35. PAPILIO Παπάδια. a) CARDUI.
b) BRASSICARIA *minor*.
c) AMIRALIS.
36. APIS VIOLACEA. Imros.

Caravana Meccenſis affert ex Arabia *Kâbiram Mel*; *Aſal nâhl* عسل أكحل præſtantiſſimum; album & fuſcum. Sæpe in ſylvis Arabiæ fluens vidi mel; quod vocant indigenæ *Noûb*.

Cera alba, Arab. *Schemma abjad.* شمع ابيض a Beduinis collecta adportatur æſtate; *citrina* Arab. *Schemmá aſfar* شمع اسفر hyeme.

37. HEMEROBIUS FORMICALYNX; puncto marginali.
38. FORMICA a) NIGRA, *enodis*; ſquama unica inter thoracem & abdomen. Μυρμίγγα.
39. b) BINODIS; nodis duobus inter abdomen & thoracem: præcedenti ſimilis. Cuniculos agit ſubterraneos.
40. c) CHUFEJIF; nigra, gregaria. *Yemen*.
41. d) SCHARDJ; rubra, magna. *ibid.* Exitioſe vaſtat fructum *Phoenicis* (*nachl ſuleimani*).
42. GALLÆ a) QUERCINÆ. E Syria ad Ægyptum invehuntur optimæ.
b) TAMARICIS ATL; *Budjm*: بجم ſuccedaneæ priorum.
c) INDICÆ; *Afs.* عفص In Arabia ad apparatum medicaminis faciei. Uſtulantur, pulveriſantur & miſcentur aqua, in qua Gummi dilutum. Iſtud, ſic præparatum pigmentum nominatur *Chadâb.* خضاب Sic faciem nigris lineis pingunt foeminæ Arabum, puellæ imprimis. *Qoll* كحل (Stibium) e Gallia advectum transfertur per totam Ægyptum & Arabiam: hoc minerale ignitum, in pulverem minuitur, & oculo aſpergitur; hinc palpebræ canthus niger evadit; & ſic ſibi placet venus polymorpha.

43. MU-

43. MUTELLA a) NIGRA. Σφάλλαχα.
Capite thoraceque rubris; abdomine nigro, faſciis albis.
44. b) BARBARA? punctis in faſcias coadunatis.
45. MUSCA NIGRA; antennis ſetaceis; thorace maculis flavis; abdomine faſciis 2. flavis, interruptis.
46. HIPPOBOSCA EQUINA; in campis Imrinis frequens, licet nulla aderant pecora.
47. EMPIS? Arab. *M nn.* Ad regionem *Niloticam* ſæpe nubis inſtar vento propellitur, & magna viatorum moleſtia oculos torquet. Pungere neſc.t. Genus determinare non potui: *Aphidis nigræ* formam habet.
48. CANCER MÆNAS Τζαγάνος. Turc. *Tſaganos.*
49. SCOLOPENDRA; ſegmentis planis, recurvatis, bruneis.
50. JULUS. Arab *Hælbau.*
51. ONISCUS ASELLUS. Arab *Omm ali.* ام علي
52. SCORPIO. Cineres ſcorpionis uſti, calefacti ligno vitis in vaſculo clauſo, & mox propinati doſi 2. vel 3. gran. laudantur ut diureticum eximium, in ſtranguria. (Auctore Arabe medico.)
53. PODURA CINEREA; magna.
Foveas inhabitat excavatas in arena littorea prope *Alexandriam.*

VERMES.

I. MOLLUSCA.

1. TEREDO a) ARENARIA; tubulo arenoſo.
2. b) CONCHILEGA; tubulo conchylifero.
3. LIMAX a) MARINUS.
4. b) TERGIPES; papillis dorſalibus 12.
5. c) MINIMUS; pap. dorſal. 4. ſerierum.
6. NEREIS a) CÆRULEA; pſeudo-phoſphora.
7. b) PELAGICA; *rubra.*
8. PRIAPUS a) GIGANTEUS. *Tabaket el bâbr.*
9. c) ALBUS; *tardus.*
10. c) RUBER; *glandulis albis.* *Garindſj el bâbr.*
11. d) VIRIDIS; tentaculis corpore longioribus. *Karraſa.*
12. e) POLYPUS; radians; filamentis oris retractilibus.
13. SCYLLÆA GHOMFODENSIS; tentaculis primis brevibus.
14. HOLOTHURIA a) DENUDATA; radiis trifariam glandiferis.
15. b) SPIRANS; radiis nudis.

16. SEPIA

16. SEPIA octopodia. *Sebbed:* vel *Achtabût.* اخطبوت

MEDUSA. *α) limbo non tentaculato.*

17. a) tetrastyla; tubulis coadunatis.
18. b) octostyla; ſedecim appendicibus. *Homad.*
19. c) andromeda; ramoſiſſima. *Kandil el bâhr.*
20. d) corona; brachiis dentatis, ramis dentatis.
21. e) persea; annulo viſcerato.
22. f) cephea; brachiis lanatis.

β) limbo tentaculato.

23. g) proboscidalis; tentaculis 6.
24. h) noctiluca; tentaculis 8; verrucoſa.
25. i) mollicina; plicis 12; tentac. 12.
26. k) pileata; campaniformis, globifera.
27. l) cruciata; cruce rufeſcente.
28. m) æquorea; vulgaris, maxima.
29. n) beroe. *α) albens. β) denſa. γ) rufeſcens.*

SALPA. *α) appendiculata.*

30. a) maxima: utrinque appendiculata.
31. b) pinnata; appendice pinnata.
32. c) democratica; aculeis 8.
33. d) mucronata; mucrone interno, gemino.

β) appendice nulla.

34. e) punctata; pone mucronata.
35. f) confoederata; dorſo gibbo. Societas juncta membrana.
36. g) fasciata; inteſtino filiformi.
37. h) sipho; fronte tubulata, ſiphonizante.
38. i) africana; trinucleata.
39. k) solitaria; ano laterali.
40. l) polycratica. Societas prolongata.
41. PTEROTRACHEA a) coronata; ventre caudaque pinniferis.
42. b) hyalina; pinna centrali.
43. c) pulmonata; nucleo plumoſo.
44. d) aculeata; pinna terminali.
45. PHYSSOPHORA a) hydrostatica; veſicis lateralibus.
46. b) rosacea; veſica foliifera.
47. c) filiformis; brachiis lateralibus.
48. FISTULARIA a) vittata; tentaculis 12. *Zibb el bâhr.* زب البحر
49. b) reciprocans; tentaculis ramoſis. *Hannaſch el bâhr.*

50. FISTU-

50\. FISTULARIA c) MAXIMA; papilloſa.
51\. d) IMPATIENS; tentac. 20; cinerea. *)

II. TESTACEA.

α) *Multivalvia.*

52\. CARDIUM AURICULA; *hemicardium?*
53\. VENUS a) GLOBOSA. Belg. *Piſtolen doublet.*
54\. b) CORDATA. *Qouqa.* قوقع
55\. MYA a) OVATA.
56\. b) PICTORUM. *Mabar.*
57\. SPONDYLUS PLICATUS.
58\. ARCA MULTISTRIATA.
59\. OSTREA a) MACULOSA.
60\. b) SUPERFICIALIS.
61\. c) FORNICATA.
62\. d) REGULA.

63\. OSTREA

---

*) ECHINUS a) *diadema.* Ἀχῖνος. Spinis craſſis compreſſis.
b) *eſculentus;* aculeis violaceis vel olivaceis. Edulis coctus.
c) *ſaxatilis;* radiis obſcure purpureis; ambulacris vix diſtinctis. *Korráan.* كرعان
d) *lacunoſus.*
e) *orbiculus.* *Rif el báhr.* ريف البحر
f) *roſaceus.*

ASTERIAS a) *nodoſa.* Σταυρὸς. Eſculenta cocta.
b) *aranciaca; Kaf merjam.* كف مريم radiis 5-lanceolatis, ſupra planis, nudis; ſubtus ſpinoſis.
c) *lævigata;* radiis 5-lanceolatis; utrinque elevatis punctis ſcabris, ſupra convexiuſculis.

GORDIUS *vena medinenſis.* *Dudæ.* دودة
Non licuit mihi diſquirere, annon vermis hic ſit cauſſa morbi ad *Lobajam* vulgaris, *Erk* عرق vocati: crura vulneribus corroſivis foedantur, e quibus ſe exſerit *tendo* (rectius forſitan Gordius). Cauſſam adſcribit gens aquæ putei *Naæman.* Eſt illa non ſolum ſale inquinata, verum & pluvia diu morante, ſtagnans & tetre ſalita. Neceſſitas uſum jubet. Extranei morbo Erk vehementius torquentur. (cfr. Editoris Deſcr. Arab. p. 133.)

HIRUDO *ſanguiſuga.* *Alak* علق In fluvio *Aleppenſi* abundat, & inde ad Ægyptum defertur.

63. ANOMIA TRIDENTATA.

64. PINNA PICTA.

β) *Univalvia.*

65. NAUTILUS a) PERTUSUS.

66. b) ORBICULUS.

67. TROCHUS a) DENTATUS. Κοχλιος. *Nebed.* نهيد

68. b) NODOSUS.

69 c) TRISULCATUS. *Rumphius* in *Muſ. Amb.* ad Tab. 30. fig. 2. refert Trochum hunc non reperiri, niſi ad littora *Sagu* veſtita. Hujus arboris veſtigia circa Lohajam vidi nulla; verum Trochum copioſe diſſeminatum per campos procul a mari; omnes autem teſtas vetuſtate exeſas. Hoc non unicum eſt teſtimonium decreſcentis columnæ aquæ marinæ; ſolum vero non ſufficit; vehemens enim inundatio maris ſuos transfert incolas ſæpe ad faſtigia montium adjacentium; cujus facti jam notiſſima ſunt exempla.

70. TURBO a) NEBULOSUS.

71. b) DIVERGENS.

72. c) DECLIVIS.

73. HELIX a) DESERTORUM.

74. b) ARABICA. *Harbar.*

75. c) JANTHINA. Σαλλιάχο.

76. NERITA CORNEA. *Lyſſeiq.* لزيق

77. SERPULA CINEREA.

III. ZOOPHYTA.

78. GORGONIA a) CERATOPHYTA.

79. b) VERTICILLATA *Ærk el bir.*

80. c) SPONGIOSA.

81. d) VERRUCOSA.

82. ALCYONIUM PHUSCA. Φϐσκα; edule.

83. SERTULARIA a) OBSCURA; rachi vireſcente.

84. b) SETACEA.

85. c) RIGIDA; articulis integris.

86. HYDRA a) SCYPHIFERA; tentaculis 10.

87. b) MULTICORNIS; tentac. 14. *)

 IV. CO-

*) SERTULARIÆ *archipelagi.*

a) *polyzon.* b) *ſcrupoſa.*
c) *eburnea.* d) *bidentata.*
e) *pinnata*; non ramoſa. f) *halecina.*
g) *geniculata.* h) *alba.* *Ellis.* tab. XII.
i) *avicularia*; duabus ſeriebus capitum avicularum.

IV. CORALLIA.

a) MADREPORA.

1. MADREPORA SOLIDA; ſtellis contiguis.
2. FAVUS; ſtellis margine coadunatis.
3. CAVERNOSA; ſtellis margine lamella interjecta.
4. LABYRINTHIFORMIS; coſtis undulatis.
5. ASTROITES; ſtellis orbiculatis, pariete lamella.
6. MONILE; ſtellis infundibul. lamellis continuatis.
7. DÆDALÆA; ſtellis hexagonis, parietibus unitis, dentatis.
8. MONASTERIATA; parietibus elatis, lanceolatis.
9. CONTIGNATIO; ſtellis radii linearibus, diſci ovatis.
10. FUNGITES; lamellis denticulatis. *Gædah.* قدح
11. ORGANUM; lamellis undulatis, combinatis.
12. CORALLIUM RUBRUM. *Murdjan.* مرجان
13. CACTUS; ramis dichotomis; lateribus ſtellatis.
14. RUS; inæqualis, papilloſa; ſtellis diſtantibus.
15. SERIALIA; ſtellis diſtantibus, margine prominulis.
16. INCRUSTANS; inæqualis; ſtellis prominulis, intus lamellatis.
17. CHALCIDICUM; ſtellarum tubis cylindricis; intus & extus lamellatis.
18. CONCAMERATA; plana; ſtellis remotis, interſtitiis lamellatis.
19. DIVERGENS; ſubgloboſa; tubis radiantibus, exſtantibus.
20. CORYMBOSA; ſtellis terminalibus, ſolitariis, lobatis.

b) MILLEPORA.

21. MILLEPORA DAMICORNIS; ramorum apicibus conicis.
22. ALCICORNIS; apicibus obtuſiſſimis.
23. LINEATA; apicibus ſubulatis.
24. PALMA; muricata.
    α) ramis flaveſcentibus.
    β) ramis rufeſcentibus; poris lateralibus cylindricis.
25. EXÆSA; ramis conglomeratis, faſtigiatis. *M'gaviſch.*
26. DICHOTOMA; reliformis; ramis teretibus, apice obtuſis.
27. LICHENOIDES; expanſa; ramis alternis, ciliato-dentatis.
28. CELLULATA; conglomerata, ramis compreſſis.
29. RETICULATA; expanſo-ſinuoſa, reticulata, poroſiſſima.
30. CONGLOMERATA; ramis verrucis quincuncialibus. *)

c) LITHO-

*) *Corallia* fruticoſa omnia Arab. communi nomine *Sjæab ennâr.* شعب النار

a) *Madrepora acetabulum*; alba, digiti longit. Habitat in teſtis Concharum vacuis. *Conſtantinop.*

c) LITHOPHYTA CARNOSA.

31. LITHOPH. PULMONARIS; carnoſa.
32. ARBOREA; ramoſa.
33. FULVA; cruſtacea.

---

b) *turbinata;* interdum ramoſa; ſtella concava.

c) *aſtroites;* ſtellis cavis, interdum angulatis, interdum ſubrotundis.

d) TUBIPORA *muſica.* *Djiddæ.* *Damm el Acheræjn.* دم الاخرين

e) *Mæandrites.* *Doumar meſchati.* دومر مشطي

f) *Millep. damicornis.* *Madrep. faſcicularis* & *favoſa;* in montibus calcareis *Meliteņſ.* foſſiles.

Montes coralliferi ab urbe *Tôr* usque ad *Ghonfodam* ripas muniunt ſubmarinas denſiſſime; poſt hanc urbem verſus meridiem, rariores evadunt, (an deſinant plane, neſcio), ita ut nautæ, quantumvis timidi & inexperti, jam ſecuris navigent velis nocturno quoque tempore. In famoſa diſceptatione de *loco vero tranſitus Iſraelitarum;* iſte nequaquam infra Tôr quærendus; quum inde manifeſta incipiant juga Corallina; quæ omnem e fundo maris aſcenſum objecto vetant muro. Suénſia littora, a recedente mari ſerius orta, neſciunt Corallia; fragmina reperiuntur rarius ſparſa. (*conf. Editoris Deſcript. Arabiæ* p. 404)

In Nomenclatura ſyſtematica hujus ordinis, putaverim *nomina trivialia* aptiſſime mutuari e regno Botanico, imprimis e claſſe *Cryptogamorum* & Lichenum genere; quum forma aliquatenus convenit; & Corallia ſunt cryptogama regni Animalis.

CONCHYLIA
OBSERVATA
PER LITTORA MARIS RUBRI:
SUÉS : DJIDDÆ : MOCHHÆ.

Inſulam Ghorab prope Ghomfodam Conchyliorum feraciſſimam eſſe rariſſimorum, mihi conſtitit, dum in deſcenſu aliquot horarum ultra 30. ſpecies feſtinanti paſſu collegi.

Smirnæ & Constantinopoli vulgaria obtinui; ſed artem piſcandi inſpexi (vide *Diar. Conſtantinop.*); & nomina Græca didici, quæ auxi & confirmavi teſtimonio Græcorum *Suês* habitantium, qui mercatores ſunt, nautæ, vel navium architecti. Miſerrimus locus; ſterilitatem terræ ſupplet annona marina. Græci, rigidi obſervatores Eſurialium feriarum, carne exſangui Conchyliorum & Sepiarum deliciofe præparata, abſtinentiæ ſacræ tædia facile caſtigant. Veniam extendunt ad omnia genera horum animantium; modo ſint mole apta & textura corporis laxa. Teſtacea parva & rigidiuſcula rejiciunt. Non ſolum copia proſtat Conchyliorum in Mari mediterraneo, Aſiatico & Rubro; verum & ſpecies multæ menſæ apparatum & gulæ appetitum variant, ſatiant. Quisquis ſpecies coacervare, vel quod ſapientius judicaverim, Teſtaceorum naturam ſtudere cupit, huic ſocietatem commendo piſcatorum Græcorum, ubi ſecuritatem & apertam invenit fidem.

α) MULTIVALVIA.

1. LEPAS; *balanus.* Ελιαῖς τῆς θαλάσσης.
2. CHITON; parvus; teſtis affixus; in Mari Nigro.
3. PHOLAS; *dactylus.*
4. SOLEN; *ſtrigilatus.* Σωλῆνα. Crudus (Conſtantinop.) edulis & cum Pilau mixtus; Smirnæ non niſi coctus. Solen hunc etiam in Norvegico mari piſcatus ſum.
5. TELLINA a) *donacina;* magna.
6. b) *virgata*; parva, alba.
7. c) *roſtrata;* transverſe ſtriata.
8. d) *incarnata;* magna edulis. Καλόγνομη. Arab. *Bint bet albahr* vel *Qouqa.* Arabibus univerſale nomen Teſtaceorum bivalvium, terreſtrium, & eſculentorum.
9. CARDIUM a) *ſerratum*; ovatum.

10. CARDIUM

10. CARDIUM b) *unedo;* parvum, angulatum; ventre prominulo.
11. c) *fragile;* ſtriatum transverſe; tantum ad cardines læve.
12. d) *edule.* Βρουλίδα vel Ακιβάδα. Omnia hujus cognominis Teſtacea, ſunt Græcis eſculenta vel cruda vel præparata. Turc. *Akivada.* Circa *Sués* rarum; & longe a littore projectum in campis.
13. DONAX *biradiata;* margine integro, teſta glabra, alba, radiis utrinque 2. purpureis; antice tota purpureo-ferruginea, undulatim ſtriata. *Lobajæ.*
14. VENUS a) *proſtrata;* rotunda, ſtriis transverſis, ſulcatis.
15. b) *chione;* magna.
16. c) *pectinata.* Αχιβάδα. eſcul.
17. d) *decuſſata.* eſcul.
18. e) *dione.* Arab. *Omm eſcblul. Djiddæ.*
19. f) *caſina;* natibus planiuſculis, rugis transverſis undulatis. eſc.
20. g) *læta.* eſc.
21. h) *literata.* Ροχλικὸ-Αχιβάδα.
22. i) *gallina.* Ορεχλίκες.
23. k) *verrucoſa.* Κιδόνια.
24. l) *varia;* transverſe ſtriata ſulcis parvis, multis; antico latere ſubtruncata; margine integro; colore vario; oblonga, bipollicaris.
25. m) *reticulata.* Ad *Tôr.*
26. n) *erycina;* gibba, nitida, radiata.
27. o) *lupinus;* parva, rubens.
28. p) *violaſcens;* ovalis, longitudinaliter ſtriata; margine integro, labiis violaceis. Variat: colore albo-flavicante, vel violaſcente.
29. SPONDYLUS *gaderopus.* Γαδουρόποδα. Arab. *Rigl bomar.* Frequens Sués; eſc. crudus.
30. CHAMA a) *gigas.* Arab. *Boſſr.* بصر eſc. nigris rejectis inteſtinis.
31. b) *lazarus.* Χοχλιὸς. Arab. *Hafer bomar.* حافرحمار
32. c) *gryphoides?* oblonga, duplici cingulo tuberculoſo; natibus ſpiralibus.
33. d) *calyculata;* oblonga, pollicaris, ſulcis profundis.
34. ARCA a) *foliata;* margine foliato; magna, ſæpe 4. poll.
35. b) *noæ.* Καλογνῶμα. Arab. *Omm eſcblul.* ام الجلول paſſim Sués; eſc. cruda; Smirnæ frixa.
36. c) *barbata.*
37. d) *tortuoſa.* Sués, rariſſima & inter projecta longe a mari.
38. e) *antiquata;* magna, alba, multiſulcata.
39. f) *pectunculus.*

40. ARCA

40. ARCA g) *glycymeris.* Μεθ'ϛραχιβάδα. eſc.
41. OSTREA a) *plica;* non decuſſata.
42. b) *ſanguinea;* coſtis trifariam ſquamato - imbricatis; interſtitiis anguſtis nudis
43. c) *ziczac.* Arab. *Tarak;* تراق operculo plano.
44. d) *lima.*
45. e) *varia.* Χτένι vel Καλογριοχτένι. eſc.
46. f) *glabra.* Χτένι vel Κεχυνόχτενι. Variat colore cinereo vel fulvo.
47. MYTILUS a) *margaritiferus.* Arab. *Sridîe.* سريدية Στρίδια.
48. b) *exuſtus;* parvus, ſtriatus. Μίδια. Turc. *Midi.* Arab. *Midîe.* ميدية Suês frequentiſſimus; majores eſc. crudi & cocti.
49. c) *barbatus.* Χάβαρο.
50. d) *modiolus.* Βȣ̃το αχιβάδα. eſc.
51. e) *hirundo.* Arab. *Zenni.* زنة
52. PINNA a) *ſaccata;* lævis, albeſcens, ſubtruncata.
53. b) *rudis.* Turc. *Pines.*
54. c) *muricata.* eſc. Conſtantinop. etiam ab Europæis: cocta.
55. d) *rudis.* eſc.
56. e) *nobilis:* Græcis tendo Pinnæ delicatula eſca. *Smirnæ* maxima copia; margaritiferæ, ſed inutiles, rubicundæ. Neſciunt incolæ in uſus vertere capillos Pinnæ, hyalinos, tenerrimos, ductiles. In Muſeo ſplendidiſſimo *Drotningholmenſi* vidi ſpecimen talis texturæ. *Conſtantinopoli* Pinna profundum alti maris occupat; ubi erecta ſtat, apice deorſum ſpectante: piſcator illam circulo ferreo extrahit, ſemper tamen teſtam frangit.

β) UNIVALVIA.

57. ARGONAUTA *argo.* Arab. *Ankarît.* عنقريط
58. CONUS a) *textile.*
59. b) *imperialis;* faſciis multis; cingulis obſoletis.
60. c) *dentatus.*
61. d) *ſtercus muſcarum;* digitum latum longus; faſciis interruptis; figuris leoniformibus; aliisque faſciis punctatis, alternantibus.
62. CYPRÆA a) *mappa.*
63. b) *Arabica.*
64. c) *lynx.* Arab. *Maſkale.* مسقلة
65. d) *tigris.* Arab. *Safad.* Venalis defertur Káhiram; ad læviganda textilia ſericea & aurea.

66. BULLA

66. BULLA *ampulla.* Σκλιβόστρα.

67. VOLUTA a) *caffra*; glabra, nitida velut oleo uncta, parva, flavicans; columella uniplicata; plica alba, ſtriata.

68. b) *monilis.* Ex Inſula *Camâran* affertur Káhiram, colligata in monilia & faſciculos pendulos (*feſtons*) pulcherrimos.

69. BUCCINUM a) *vibex.*

70. b) *arcularia.*

71. c) *pomum.*

72. d) *patulum.*

73. e) *præmorſum.* *Imros* in fonte.

74 f) *reticulatum*; apertura non dentata; perexiguum; non eſcul. Conſtantinop.

75. STROMBUS a) *lambis.* Arab. *Kabdân.* قبضان Rumph. muſ. tab. 35. fig H.

76. b) *canarium*; ventre coronato; dorſo nodoſo. Inter teſtacea projecta.

77. c) *gallus.* Στρομπάκ. Arab. *Srombak.* سرنباق Frequens. Caro teſtis tanta adhæret tenacitate, ut nonniſi fortiter coquendo ſolvatur.

78. d) *epidromis;* ſpiris nodoſis.

79. TURBO a) *terebra;* apertura ſubquadrata, lineis 4. transverſis.

80. b) *chryſoſtomus;* albus, detritus. Βικὶ. Arab. *Kuſſ muſa.* قصموسي rarior; eſculent.

81. c) *argyroſtomus*; operculo hinc globoſo, inde plano; umbilico brevi.

82. TROCHUS a) *pharaonius.* Ad *Ghobeibe* lectus.

83. b) *punctatus*, parvus, frequens Sués. Pro medicina in *Hæmorrhoidibus*, externe applicatus; quare copioſe transfertur venalis quaquaverſum. Morbus iſte perquam vulgaris in Ægypto & in Yemen; Lohajæ quaſi endemius.

84. c) *magus.* Κοχλίος. Arab. *Budjek.* ſapidus. Umbilicatus; anfractuum faſciis toruloſis 4, infima & ſuprema majori; columella integra.

85. HELIX *terreſtris*; ovata, rotunda; apertura ſubrotundo-cuneata; obſcure-teſtacea; operculo tenui, convexo, albo. Patriam ejus ignoro; *Maſſiliæ* obtinui ab amico.

86. MUREX a) *fuſus;* dentatus. Rariſſimus in muſeis curioſorum; perquam frequens in Inſula *Ghorab;* vacuæ domus occupatæ a Cancris refugis.

87. b) *tribulus.* Ἄγγαθη Τῆς θάλασσας. Djiddæ *Ajâne.* Piſcatoribus *Abu ôuf.* vel *Kabur nabur*, قابورنابور vel *Katal chale.* قتلخله ſpinæ curvæ, interſperſis brevioribus, proſtratis.

88. MUREX c) *hauſtellum.*
89. d) *rapa.*
90. e) *rubecula.*
91. f) *ſyracuſanus*; ſubturritus.
92. g) *Aluco.* Arab. *Madne.* مادنه Columella vix triplicata. Adeo parvus; non eſcul.
93. h) *granulatus*; huic ſimilis; longe minor.
94. i) *aſper.* Στροφάκια. Arab. *Bouq.* بوق Amari ſaporis.
95. k) *ramoſus.* Προσφύρα. Arab. *Abu dinar.* ابودينار grati ſaporis.
96. l) *colus.* Arab. *Bouq.*
97. m) *lignarius.* Αφάλλη τῆς θάλασσας. Arab. *Æju.* Amarus; tamen edulis.
98. NERITA a) *cornea.*
99. b) *peloronta.*
100. c) *mammella.*
101. d) *canrena.*
102. e) *vitellus.* Alba, transverſa, ſtriata.
103. PATELLA *neritea*; in Mari nigro teſtis adhærens frequentiſſima; rara in muſeis Curioſorum.
104. SERPULA a) *contortuplicata*; teres.
105. b) *triquetra.*
106. c) *ſpirorbis.*
107. d) *glomerata.*
108. e) *angulata*; in teſtis undulatim repens. Omnes hæ Serpulæ in Mari nigro.

DE-

DESCRIPTIONES
ANIMALIUM.

ANIMALIA.

AVES.

FALCO.

1. FALCO *cera pedibusque flavis, ſupra cinereus, ſubtus ferrugineus; alis ſupra fuſcis; cauda forficata, fuſco-faſciata, longitudine corporis.*

Descr. A roſtri apice ad extremam caudam fere cubitalis. *Roſtrum* & cera flava. *Capitis* plumæ lanceolatæ, griſeo - rufeſcentes, medio nigræ, ſetis ad ora diſtantibus. Plumæ *dorſales* & alarum *tectrices* ſuperiores, cinereæ: rachi fuſca. *Remiges* fuſcæ: 5 primæ verſus apicem anguſtatæ, omnes latere inferiore griſeæ, fuſco - faſciatæ: verſus apicem nigræ. Alæ *ſubtus* griſeo-fuſcæ, faſciis obſcurioribus: tectricibus ferrugineis, linea media nigra. Idem color plumarum ſub corpore: intimæ ad cutem omnes albæ. *Cauda* longitudine corporis, & ultra apicem alæ complicatæ prominens. *Rectrices* 12. verſus mediam ſenſim paulo minores: cinereæ, faſciis fuſcis. *Femora* & dimidiæ fere *tibiæ* plumatæ: reliqua tibiæ pars & *digiti* flavi. *Ungues* nigri: poſticus & interior uterque æqualis & reliquis major.

Locus: In *Ægypto* frequens hieme. Arab. *Haddáj.*

Obs. An *Falco* (10) *Milvus?* ſed nec totus ferrugineus, nec caput albidum. An *Falco* (11) *forficatus?* ſed ſubtus non albidus, verum ferrugineus.

MEROPS.

2. MEROPS ÆGYPTIUS, *totus viridis, gula flava, linea ad latera capitis nigra, remigibus apice fuſcis.* Arab. *Chaddæjr.*

Descr. *Roſtrum* nigrum, rectiuſculum. *Lingua* apice non laciniata, ſed bidentata. *Pedes* incarnati. *Cauda* æqualis: rectrices 12.

Locus: in *Ægypto.* Pulli venales proſtant menſe Junio.

3. MEROPS. Arab. *Schæghagha.* شقاق

Obs. Cum Mer. Apiaſt. Linn. exacte quadrat; at roſtrum carinatum non eſt, ſed convexum: nec digiti infimo articulo coadunati.

Locus: *Yemen*, frequens in ſylvis: inſectis veſcitur.

A CRO-

CROTOPHAGA.

4. CROTOPHAGA. Arab. in Djæbbal *Tullæk*; in Tehama *Dymlûdj* vocatur.

Descr. Generi Crotophagi certe accedere videtur; quamvis roſtri labium inferius (non ſuperius) transverſe ſulcatur. *Labia* decurva, capite duplo longiora, compreſſa, margine inæqualiter ſerrata, vel potius ſæpe emarginata In labio ſuperiore, macula ad baſin longitudinalis alba: in inferiore, lineæ obliquæ, curvæ, albæ, elatiuſculæ, ad baſin, tres vel quatuor. *Lingua* perbrevis, haſtato-ſubulata, integra. *Caput & collum* griſeo-fuſcum: abdomen album, (ſed ex junioribus ea, quam deſcripſi): cætero; *color* griſeus, albo-maculatus, vitta utrinque ſupra oculos alba. *Remiges* apice albæ, primores cinereæ, ſecundariæ nigræ. *Rectrices* decem, longitudine totius corporis: æquales nigræ, apice albæ, intermediæ vero duæ totæ fuſcæ, etiam apice. *Tibiæ* nigro-fuſcæ, ad genua plumatæ; femoribus breviores. *Digiti* tertii vel extimi duo articuli connati cum primo articulo digiti medii: unde ſingularis ſtructura. *Magnitudo* columbæ majoris; ſed roſtrum præter modum grande reſpectu corporis. Serpentivora dicitur.

ALCEDO.

5. ALCEDO semicærulea, *brachyurus, dorſo poſtico, cauda medioque alarum cæruleis, humeris nigris, capite pectoreque cinereo, ventre ferrugineo.*

Descr. Magnitudo Pici minoris; circiter ſpithamæ longitudine. *Roſtrum* miniato-rubrum, rectum, pollice aliquanto longius. *Mandibulæ* ſuperioris dorſum angulatum, margo imbricans, apice paulo longior inferiori mandibula; baſi medio & angulis calva. *Nares* oblongæ, nudæ, horizontales. *Lingua* breviſſima, ſemi-unguem æquans, cordata, undique integerrima, obtuſa. *Caput* & cervix obſcure-cineraſcens. *Pectus* pallidum. *Venter* ferrugineus. *Pedes* miniato-rubri. *Digiti* 3 --- 1. extimi ad medium connexi. *Ungues* fuſci, baſi rubentes, omnes compreſſi, præter anticum medium, introrſum marginatum. *Dorſum* anterius nigrum: poſticum & uropygium ſericeo-cæruleum. *Remiges* ad angulum poſticum 20: omnes uno numero 23. *Tectrices* remigum *ſuperiores* nigræ: *inferiores* ferrugineæ: ſed primarum tectrices ut & *alicula* ſuccenturiata cæruleo-ſericea. Remiges *primores* 10: baſi extus ſericeo-cæruleæ, intus niveæ, verſus baſin fuſciores, apice omnes nigræ. *Secundariæ* fere totæ extus cæruleæ; introrſum & ſummo apice nigræ. *Cauda* brevis: non vidi niſi rectrices duas extimas cæruleas, margine interiore nigro, & ſubtus totas nigras.

Locus. *Yemen.*

ANAS.

ANAS.

6. ANAS anser; Arab. *Uæs araki.*

Descr. *Roſtrum* incarnato-albidum. *Abdomen* nigro-maculatum. *Cauda* ſubtus alba. *Pedes* flavi; membrana flava. *Rectrices* 10. fuſcæ, margine albidæ.

7. ANAS. Arab. *Scar chir.*

Descr. Corpus colore griſeo-maculato: abdomen & uropygium ſubtus albidum, maculis cinereis. *Roſtrum* medio nigrum, lateribus & ſubtus flavum. *Pedes* cinereo-flavicantes, membrana natatoria fuſca. *Alarum* rhombus nigricans; ante & pone albus.

8. ANAS. Arab. *Sáu Sárai.*

Descr. *Roſtrum* totum nigrum. *Collum* cinereum, ſemicirculis albis. *Abdomen* albidum, immaculatum: *uropygium* ſubtus nigrum. *Pedes* cinereo-flavi, membrana natatoria fuſca.

Locus: *Alexandriæ.*

9. ANAS boschas. Arab. *Kenár.* (una ex avibus migrat. 15. *Batt.*)

Descr. *Roſtrum* medio nigrum, lateribus pallide cæruleum. *Dorſum* fuſcum, undulis albis. *Abdomen* albido-rufeſcens. Digitorum *Membrana* interior integra, plena; exterior emarginata. *Alarum* rhomboides fuſco-viridis, ante albo-rufeſcens, pone niveus, ſupra niger, infra fuſcus. *Rectrices* 16. acutæ, ferrugineſcentes.

10. ANAS *Gattáir.* Arab.

Descr. *Roſtrum* fuſcum, ſubrugoſum, ſubtus nigrum. *Dorſum* fuſcum. *Caput* pectusque bruneum. Sub roſtro plumulæ anticæ albæ, maculam parvam albam adornant. *Alæ* ſupra nigræ: ſubtus albæ, margine fuſcæ: inter abdomen & tectrices ſubtus bruneo-cinereæ. Ala complicata *Maculam* monſtrat bifidam, ortam ex remigibus 4—20. medio albis. *Cauda* brevis, paululum cuneata: rectrices 12. acutæ, ſupra fuſcæ, ſubtus pallidiores: tectrices albæ. *Abdomen* medio album. *Pedes* cæruleo-cinerei.

Locus: *Alexandriæ.*

11. ANAS. Arab. *Sirſœir. Roſtro ſubtus flavo; rhomboide alarum oblique dimidiato, ſupra ſericeo-viridi, ſubtus nigro, antice & poſtice albo.*

Descr. *Roſtrum* ſuperne plumbeum; margine laterali & ſubtus flavum. *Gula* albida. *Vertex* fuſcus. *Dorſum* fuſcum, margine plumarum albido. *Pedes* griſei, membrana digitorum fuſca. *Abdomen* & alæ ſub-

tus albidæ; ſub cauda maculæ fuſcæ. *Alæ* ſupra fuſcæ: rectrices ſecundariæ apice albæ: & quæ pone rhomboiden, margine anteriore albæ. *Cauda* brevis ſubcuneata; rectrices 16. fuſcæ, margine albidæ, ſubtus pallide-fuſcæ, acuminatæ.

12. ANAS. Arab. *Balbul. Roſtro nigro, rhomboide alarum ſupra oblique viridi, infra oblique nigro.*

Descr. Præcedenti ſimilis; ſed roſtro diverſo. Magnitudine minor eſt gallina. *Corpus* cinereum: ſupra albo-undulatum, ſubtus albidius. Ejusdem coloris eſt foemellæ *Caput:* maris vero bruneum, macula magna & longa viridi-rubente utrinque ad tempora. In *Collo* pone macula atro-cærulea, quæ maculas virides conjungit. Ad baſin *roſtri* ſubtus, macula nigra. *Alarum* rhomboides ante & pone albus. *Uropygium* maris atro-vireſcens, margine plumarum interiori teſtaceo. *Cauda* cuneata: rectrices 16. ſed nullæ pennæ recurvæ. *Pedes* cinerei. *Iris* oculorum obſcure brunea.

Locus. *Kâhiræ* vulgaris.

13. ANAS ferina? Arab. *Batt.*

Descr. *Roſtrum* rectum, latiuſculum, obtuſiſſimum, ſupra plumbeum, macula magna circa nares, apice nigras: appendix cum ipſo roſtro terminata, impreſſa margine & obcuneata: *maxillæ* ſuperioris margo ſubtus totus niger. Maxilla inferior plumbea, margine late-nigro: membrana media nigra. *Iris* coccinea; dum vivit animal. *Caput* & collum ferrugineum: *pectus* & vicina *dorſi* pars nigra: *abdomen* & media dorſi pars albido-cinerea, undulis plurimis transverſis, fuſcis, ſubtilibus: extremum dorſum magis fuſcum & albo-punctatum. *Alæ* pallido-cinereæ totæ: primorum remiges apice fuſcæ, ut & tectrices. *Cauda* perbrevis, utrinque cinerea, ſubcuneata, rectricibus 12. acuminatis. *Uropygium* nigrum & anus. *Pedes* cinereo-cæruleſcentes: genua nuda: membrana digitorum nigra, inter extimos digitos angulo obtuſo emarginata. *Magnitudo* anatis domeſticæ.

Locus: *Kâhiræ.*

COLUMBA.

14. COLUMBA turtur; *rectricibus fuſcis: extimis apice & extrorſum, reliquis apice albis; intermediis exceptis.*

Descr. *Roſtrum* fuſcum. *Collum* & caput cæruleo-rufeſcentia; ad latera colli utrinque tres lineæ obliquæ, nigræ, totidemque albæ alternatim. *Pectus* rufeſcens: *abdomen* album. *Dorſum* cinereo-rufeſcens, marginibus

nibus plumarum teſtaceis. *Tibiæ* & digiti rubri. *Remiges* fuſcæ. *Rectrices* 12. fuſcæ: extimæ apice & dimidio toto exteriore albæ: proximæ 4. apice albæ: intermediæ totæ fuſcæ.

Locus: Ad littora *Galliæ* capta.

15. COLUMBA TESTACEO-INCARNATA: *gula maculata plumis nigris, apice bilobo-truncatis, ferrugineis.*

Descr. *Roſtrum* nigrum. *Caput* violaceo-incarnatum. *Oculorum* orbita nuda, cæruleſcens. *Gulæ* plumæ cuneiformes, nigræ, apice diviſæ in duos lobos lineares, divergentes, truncatos, totos fere incarnato-ferrugineos. *Dorſum* cinereum. *Pectus* violaceo-incarnatum. *Abdomen* albidum. *Femora* albida: *tibiæ* & digiti incarnati: *ungues* nigri. *Remiges* utrinque fuſcæ; extimæ margine exteriore leviter dealbatæ. *Tectrices* remigum primarum fuſcæ: ſecundariarum exterarum cæruleſcentes: interiorum teſtaceæ, ſub-maculatæ. *Rectrices* 12. obtuſæ: mediæ 5. æquales: exteriores parum decreſcentes: duæ utrinque extimæ baſi cinereæ, medio nigræ, reliqua tota parte albæ: duæ utrinque ſequentes baſi cinereæ, medio nigræ, reliqua parte cinereæ, extremo apice albidæ: quinta, utrinque a margine numeranda fuſca, medio obſolete nigra: duæ denique intermediæ totæ fuſcæ.

Locus. In *Ægypto* frequens ad ædes. Arab. *Jemam.* Ital. *Turterella*; quod nomen pluribus ſpeciebus commune.

TURDUS.

16. TURDUS SELEUCIS; *roſtro pedibusque flavicantibus; abdomine dorſoque incarnatis; cauda, alis femoribusque fuſcis.*

Descr. Magnitudo vix Turdi pilaris. *Maxilla* ſuperior, longior inferiore & leviter utrinque emarginata: linguam non vidi. *Alæ* dimidiam caudam attingunt. *Remiges* duæ extimæ æquales: ſequentes 7. gradatim minores & obtuſiores: totæ ſupra fuſcæ; ſubtus pallidiores: pennæ remiges 10--14. margine apice obtuſo, retuſo, linea tenui alba notatæ. Penna 15. margine exteriore parum albens: 16, longior, rotundata, tota fuſca: reliquæ ſenſim decreſcentes, donec diſcerni a reliquis plumis vix poſſint. Alarum margo exterior, baſi albidus, nigro maculatus *Cauda* longitudine pedum cum digito poſtico. *Rectrices* 12. æquales rotundatæ, utrinque fuſcæ: extimarum margo exterior paulum palleſcens.

Obs. *Smirnæ* reſidens *Conſul* gentis *Suecicæ* Dn. Rydelius hanc avem mihi obtulit exſiccatam; quam pullum, vel foemellam putavimus; marem enim adultum criſta & colore rubro pulcherrime ornatum eſſe, ajebant; &

grate canorum. *Gryllos* exſtirpare ſolet; hinc Turcis ſacra fere eſt avis, quam occidere inviti ferunt.

MOTACILLA.

17. MOTACILLA SCHOENOBÆNUS *Linn. ſupra nigro cinereoque maculata; rectricibus, intermediis exceptis, baſi albis.*

Descr. Magnitudo paſſeris. *Roſtrum* nigrum: baſi duplo longius, quam latum. *Maxilla* ſuperior apice ſubreflexo, vix emarginato; dorſo obtuſe-angulato; baſi medio calvo. *Lingua* ſagittata, excavata, baſi & apice ſetis ciliata; apice fere bifido. *Nares* ovatæ, antice acuminatæ, perviæ. *Myſtaces* ab exortu narium ad baſin mandibulæ; ſetis tertia & quarta a baſi longiſſimis. Caput maculatum: a naribus ad occiput faſcia utrinque albida. *Gula* pallide ferruginea, ſub maxilla inferiori alba. *Pectus* pallide-ferrugineum, ſeu albido-teſtaceum. *Abdomen* album, flaveſcens. *Femora* plumata, albida. *Genua* ſuperius plumata, ſubtus nuda, nigra. *Tibiæ* femoribus paulo breviores, nudæ, nigræ; *ſquamis* usque ad baſin digitorum quatuor, ſuprema a genu usque ad baſin fere; reliquæ tres breves, infima transverſe truncata, oblique reliquæ. *Digiti* tres antici, articulis 4, 3, 2: nigri, exteriores connexi, laterales æquales, medius uno articulo abundat. Digitus poſticus niger, lateralibus anticis paulo brevior, craſſior. *Ungues* nigri, falcati, compreſſi; poſticus maximus, digiti fere longitudine: intermedius anticus huic proximus, paulo latior, ſubtus utrinque marginatus. Laterales antici ſubæquales, exteriore paulo minore. *Remiges* 16, usque ad longiſſimam corpori proximam, numeratæ: illi & corpori intermediæ duæ, acutiores: quæ ſequuntur tertiam a margine gradatim decreſcunt; omnes fuſcæ, limbo exteriore albido; ſecunda & tertia a margine, attenuatæ ſeu oblique exciſæ verſus apicem extrorſum ad rachin; reliquæ integræ; quatuor extimæ parum acutiores; cæteræ obtuſæ, ad baſin extrorſum teſtaceæ. *Rectrices* 12. æquales, extimis parum brevioribus, ſubacuminatæ; 5. utrinque exteriores albæ rachi & ad apicem fuſcæ: extima harum toto margine exteriore albida; ſecunda dimidio inferiore alba; tertia & quarta margine exteriore ad baſin usque fuſca; quinta toto dimidio exteriore fuſca; duæ intermediæ auctiores, totæ fuſcæ. *Ani tectrices* niveæ.

Locus: Inter *Minorcam* & *Hiſpaniam* excepta in navi.

AVES

AVES MIGRATORIÆ.

PER CONSTANTINOPOLIM.

I. HIEMALES.

1. Anas fera & anser (*Ois ſauvage*) ad aquas dulces & paludes copioſæ. Veris initio abeunt.

2. Turdus? Gall. a) *Grives:* b) *Scires* vel *Grives groſſes:* c) *Tourdres:* an totidem ſpecies diverſæ? Veniunt Septembri, abeunt vere ad Septentrionem.

3. Tetrao perdix (*Perdrix griſe*): venit inter ſumma frigora Decemb. & Januar. interdum hic nidos ponit; ſæpius ad Septentr. abit Martio.

II. VERNALES.

4. Hirundo? (*Martinez*) venit Aprili, nidificatura.

5. Coracias oriolus (*Orioles*) venit Junio; manet ad Septembr.: redit ad regiones calidiores. Veſcitur hic Uva, Ficu, Mori fructu.

6. Lanius ampelis (*Aile rouge*); venit (ut fertur) ſeptimo quovis anno Februarii menſe.

III. AUTUMNALES.

7. Upupa epops (*Hupe*) ſimul cum Coracia garrula (*Bleuret*) venit Auguſto e ſeptentrione; hieme ineunte redit.

8. Milvus Falco (*Milan*) Septembri tranſit.

9. Merops apiaster (*Sirene*) a medio Auguſti ad finem Septembris.

10. Tetrao coturnix cum præcedente idem tempus veniendi & abeundi ſervat. Redeunt Aprili ex Ægypto (ut creditur); tumque vocantur *Cailles verdes;* quia campus eo tempore viret. Manent ad finem Maji. Deinde *Tartariam Crimeam* petunt: mare tranantes, ſecundo vento offerunt alam in altum ſublatam; ſi credere fas?

11. Columba oenas (*Palombe* vel *Pigeons ramiers*) venit medio Septembri turmis innumeris, glandes quercuum depaſcens: diu non moratur, in Aſiam forte tranſiens.

12. Scolopax Septembri hæc tranſit loca *Syriam* petens: Febr. & Martio redit, iterumque Septentr. adit. (Gall. *Beccaſe.*)

13. Mota-

13. Motacilla (*Becqueſigue*) Auguſto venit, ficum maturam quærens, per Septembrim & Octobrem; qua conſumta domum redit. Cum hac Motacilla venit reditque alia ſpecies *Mouriere:* plures enim hujus generis eſſe dicebatur; inter quas *Fouette,* capite nigro.

Totum hunc catalogum migrantium avium exhibuit mihi Dn. Barthelemi, *Medicus Legationis Svecicæ*, Gallus natione, venandi artis peritiſſimus.

14. Passerum multæ variæque ſpecies autumno transvolant, quibusdam hyemantibus; ſed & perplurimæ aliæ aves, non adhuc in tabulas ephemeridis Ornithologicæ redactæ.

15. Ardea nycticorax, Gr. Νυκτοκόρακα.

16. Recurvirostra, *avoſetta*, Gr. Νεροπέλι.

17. Larus roſtro rubro, apice nigro, macula nigra temporali; dictus Aleppo: *Dingla;* viſa mihi ad *Dardanellos*, vernalis Februario advolans, æſtate non permanens.

AVES ALEXANDRIÆ.

I. PERMANENTES.

(Ex relatu & fide Venatoris Arabici nomine AUVAT.)

1. Falco Milvus,	Arab.	*Hæddâja.*
2. Strix Noctua	——	*Bûma.*
3. Aquila,	——	*Niſr.* Hæbr. נֶשֶׁר
4. Falco gentilis,	——	*Schahîn.* Ital. *Lufuga.*
5. Pelecanus onocrot.	——	*Baſchâa.* ܒܫܥܐ
6. Avis paradisiaca	——	*Aſſurt ildſjænna.* vel avis paradiſi.
7. Vespertilio?	——	*Abu Sjærra.*
8. Vultur,	——	*Sákr.*
9. Sturnus,	——	*Lehahrûr.*
10. Ardea ſtellaris,	——	*Ariel.*
11. Gallina ſylveſtr.	——	*Farcha.* Ital. *Beccaſa.*
12. Caprimulgus,	——	*Mlâkhit râjan.* item *Abu num.*
13. Phasianus,	——	*Hbâra.*
14. Corvus corax bilobis,	——	*Gorâb nuâhhi.*

15. Co-

15. Columba, حمام *Hamám.* Gall. *Pigeon.*

16. Col. incarnata, Arab. *Jemám.* Ital. *Turterella.*

17. Incerti generis: a) *Boſchóka.* b) *Gatgát.* c) *Ráchama.*
d) *Abu haovám.* e) *Abu ſarága.* f) *Mſ járdæn.*
g) *Káruan.* h) *Raáſcha.* رعشة i) *Ökáb.* عقاب
k) *Omm uſiſi.* l) *Chlíſch.* m) *Abu ſſæjæ.*
n) *Nurír.* o) *Bellæ ſjúm.* p) *Meduás.*
q) *Buſchrûſch.* r) *Abu gerdán.* s) *Sælva.*
t) *Abu gæûda.* u) *Dagnûſch.* v) *Ghattáis.*
w) *Kettár.* x) *Gátta.* Ital. *Berteris.*
y) *Abu abáb.* ابو عبعب
z) *Afrît lhájjat:* i. e. Diabolus muralis.

Aquaticæ aves: a) *Abu ſchuch.* b) *Abu farua.*
Ciconia a) *alba*, roſtro rubro. *Λείλεκος:* vel Πελάϱγος.
- - b) *cinerea.* *Γεϱανιος.* Ambæ *Smirnæ.*

II. MIGRATORIÆ.

α) Mense ante inundationem Nili veniunt:

Arſur: Motacilla, Becqueſigue: abit pluvia ingruente; i. e. initio Novembris.

β) Cum Nilo accedunt:

1. *Gimri* كمري Ital. *Turterella:* ſpicilegia meſſis colligit; quibus peractis & conſumtis, abit.
2. *Suffair,* Ital. *Rinéo.* Abit initio Novembr. inſtante frigore: & quidem diurno tempore valedicere ſolet. Eſt *Coracias oriol.*
3. *Summán* (*Tetrao coturn.*) cum præcedente eadem tempora veniendi & abeundi obſervat; hæc vero nocte caſtra mutat. E *Káhira* advenit.
4. *Kurki:* vocatur & *Uæs aráki:* vel *aigriæs.* Conſtantinopoli advenit Octobri: poſt 3 menſes redit; vel ad Indiam, ut perhibetur, tranſit. (*Kur, Kurka,* vel *Kuritza* nomen eſt *Ruſſo-Slavicum*, Gallinam deſignans. *Uæs* ſimilitudinem magnam habet cum *Gus* (*anſere*) Ruſſice; vel Polonica dialectu *Hus; G.* leniter enunciato).

5. *Uæs.* Ital. *Occa*: Octobri e *Ruſſia* venit & cum Kurki paria ſtationis & valedicendi tempora obſervat.

6. *Kunbár* accedit medio Novemb. e Turcia: diſcedit initio meſſis Ægyptiacæ.

7. *Ommu trajbiſch* Octobri venit e Turcia; redeundi ſocietatem init cum Kunbar.

8. *Sáu Sárai* ساعو fine Octob. adeſt e *Barbaria:* poſt 90 dies ſecedit ad regionem Káhirinam.

9. *Gorâb Suggaït* Octobri advenit ex *Æthiopia* (*Sudân*): manet 3 menſes, quamdiu dactyli & fabæ vigent: deinde domum petit. *Coracias*-ne *Caffra?* ſed huic rectrices non acutæ ſed obtuſæ.

10. *Abu faſádi: Motacilla:* Octobris initio venit e Turcia: meſſe incipiente redit.

11. *Haſſûn:* Frigore, i. e. Novembr. inchoante venit e Natolia & Smirna; abit calore incidente; 1 menſ. ante meſſem. Gall. & Ital. *Calderine.*

12. *Durûri*, venit dum Dactyli maturuerunt, fine Octobr. ex Ægypto ſuperiore: his conſumtis, poſt 3 menſ. abit.

13. *Tſâhi* fine Octob. venit ex *Archipelago* & *Rhodo*, ad uvas paſcendas; quatuor ſeptimanas ante meſſem lares repetit; ut calorem æſtivum vitet.

14. *Smírri* etiam accedit pluvioſa periodo, medio Nov. & poſt 3 menſes ad Archipelagum redit.

15. BATTA univerſale nomen Avium ex Occidente & Barbaria medio Octobr. advenientium; manent 40 vel 50 dies, usque dum Nilus ſubſedit: cum *Giroko* ſeu *Vento favonio* advolant, & peracta ſtatione eandem repetunt regionem.

16. *Achdár*, ital. *Kanar. Anas boſchas*, mas.

17. *Búæhh*, Gall. *Toudre.* 18. *Scharîf.* 19. *Hámri.* 20. *Báſſ.*

21. *Getthais.* 22. *Sjirſjæir.* 23. *Sirſæiræ*; (cum priore non confundenda) Gall. *Cercelle: Anas*, copioſe circa littora Maris rubri.

24. *Kiſſjæ.* 25. *Farcha blis:* i. e. *Diaboli proles ſpuria.*

AVES LOHAJÆ.

I. PERMANENTES.

1. Phasianus	*Lóuam* لوم in provincia Yemen ſylveſtris.
2. Phas. meleagris	*Hádjal* حجل
3. Falco	*Ságr* سقر
4. Corvus	*Ghoráb* غراب cadaveribus veſcitur.
5. Accipiter	*Schahiæ* شاهيه *Hendiæ* حنديه *Hœdæ.* حدأة
6. Alauda prat.	*Gombarân.* قنبران *Abu gâba.* ابوقوبع
7. Passer	*Samel.* سامل ſalaciſſimus.
8. Vultur perenopt.	*Rócham.* رخم albus: veſcitur cadaveribus.
9. Glarus	*Gombarân el báhr.* قنبران البحر
10. Gl:	*Adjam.* عجام humano more ridendo clamat.
11. Incerti generis:	a) *Schægag.* شغاغ (3) *Djoun.* جون
	b) *Gumri.* قمري
	c) *Abu ſavâdæ.* ابوسواده granivora.
	d) *Chaddâdj.* خداج piſcibus veſcitur.
	e) *Hönkarân.* حنكران piſcivora.
	f) *Mſarrâra*; crepitans ut horologium: ſilens veſpere circa horam 9. (Tempore Mohamm. *áſcha* dicto),
	g) *Schædagha* viridis.
	h) *Dællad* variegata.

II. MIGRATORIÆ.

a) HIEMALES.

Incerti generis:	1. *Hæmâm ráadi.* حمام رعدي
	2. *Hádjef.* هجف æſtivo tempore ſeptentrionem adit: granis veſcitur *Holci.*
	3. *Kæruân.* كروان eodem cibo veſcitur.
Noctua	4. *Kota.* قطا noctu volat.
	5. *Derdja.* درجه

b) VER-

b) VERNALES.

Aquila — 6. *Niſr.* نسر carne & cadaveribus victitat.

Incert. gen. — 7. *Choffaſch* خفاش vel *Abu Chaffjæſch.*

8. *Djaradjæ* جراجيه e *Græcia* advenit: putatur ejusdem generis cum *Salua*. Sed omnes ſequentes æſtivales vocantur: *Djaradjæ*; ſimul quoque propriis diſtinguuntur cognominibus.

9. *Akhal.* اكحل 10. *Achraſch.* اخرش

11. *Kalabeſi.* كلابزي 12. *Jáagûbi.* يعقوبي

13. *Durrádj.* دراج 14. *Soghátt.* زغط

15. *Hámme.* حمه 16. *Hæmámat elhind.* حمامة الهند

17. *Tæjr el hind.* طير الهند tota *deaurata;* & his in regionibus imperiali pretio emitur; quantum nonne exteris curioſis conſtabit?

18. *Buraej* بورعي venit tempore uvæ maturæ, e qua ſibi vinum conficit in Vite viva: (ſi fabulam non ſapit narratio). Roſtro ſcilicet uvas perforat, & vulnera pulvere obturat. Septem diebus elapſis redit & ex his acinis vinum ſugit paratum, adeo avide, ut inebriata poſſit comprehendi.

AMPHIBIA.

TESTUDO.

1. TESTUDO terrestris. Arab. *Zolhafæ.* زلحفه Lohajæ *Buzi* vel *Sukar*.

Obs. Eodem Zolhâfæ nomine venit quoque Testudo marina *Lattakiæ* & ad montem *Libanon* in mari habitans. Terreſtris longitudine unius pedis. *Mas* pectore ſubtus plano: *Foemella* concavo. Ovis illa gravida 30 vel 40 inæqualis voluminis, ovum columbinum æquantis. *Kábiræ* non frequens vivit, *Aleppo* autem & ad Libanon copioſior. Ruſtici totis plauſtris ad fora vehunt, & duas tresve *Medini* pretio vendunt. Græcis eſt Jejunii tempore grata, caſu conſcientiæ amphibio, hanc piſcem ſimulantibus, ne in carnis eſu peccent. Caput unco avellunt: crudum ſanguinem (ruber eſt) avide bibunt: corpus lapide fractum inteſtinis purgant: carnem, hepar, & potiſſimum ova coquunt. Delicati ſaporis eſca; medico quoque commendanda uſu in Colica

&

& Febri lenta; præſertim crudus ſanguis & ova. Hæc ſiccata, & grani doſi mixta lacti nutricis propinantur infantibus inquietis & querulis.

LACERTA.

2. LACERTA NILOTICA. *Haſſelq.* p. 311. Arab. *Váran.*

OBS. *Cauda* verticillata, longa. *Squamæ* caudæ obtuſe-truncatæ, dorſi-acutius carinatæ. *Femora* ſine verrucis. Tripedalis.

3. LACERTA ÆGYPTIA. *Haſſelq.* p. 302. Ægyptiis *Dabb.*

OBS. *Femora* teretia ſine verrucis. *Cauda* verticillata non longa. *Squamæ* patentes, ſubconicæ, mucronatæ. *Corpus* nudum, rugoſum.

4. LACERTA OCELLATA. *Cauda tereti, imbricata, brevi.*

DESCR. Longitudo totius animalis ſpithamalis: craſſities digiti. *Corpus* nitidiſſimum, ſquamoſum, depreſſum: ſubtus album, imbricatum: ſupra griſeo-vireſcens; *ocellis* ſubrotundis, radio fuſcis, diſco albo, rectangulo. *Pedes* teretes, breves, ſine verrucis. *Digiti* 5 — 5.

LOCUS: In *Ægypto* ad ædes: pulchella. Arab. *Sehlíe.*

5. LACERTA GECKO. *Ægyptiis* dicitur *Abu búrs* ابو برص i. e. *pater lepræ,* ſ. *leproſus.* *Aleppenſibus Búrs.*

OBS. *Kâhiræ* frequens in ædibus, æſtivo tempore parietes pervagans. Stridet fere ut Muſtela. Hyeme non conſpicua; ſed in tectis latere fertur, & medio Martii menſis denuò prodire. Cauda ſeparata a corpore vivo, per dimidium horæ ſigna vitæ motusque edit. Ajunt, Feles hanc Lacertam venari illaque veſci. Nominis origo inter Ægyptios lepida eſt: ſi enim ſalivam demittat in ſal, menſæ uſibus deſtinatum, lepram inducit homini, illud guſtanti: quapropter ſalinum caute obtegunt, vel Allium adjiciunt, quod horret Lacerta. Nomen animalis ortum putant alii, a ſimilitudine coloris Lepræ.

COLUBER.

6. COLUBER LEBETINUS *Linn.*

DESCR. *Longitudo* Corporis ſubcubitalis: Caudæ 4 pollicaris: verſus collum anguſtior & ſeſquipollice craſſus. *Caput* latum, depreſſum, ſubcordatum. *Squamæ* dorſi ovato-obtuſæ, planæ, ſtria media elata, carinatæ. *Dorſum* deflexum (*en dos d'ane*). *Color* ſuperne griſeus, ordinibus quatuor macularum transverſalium, alternarum. In ſeriebus mediis ambis flaveſcunt maculæ: ſed in lateribus fuſcæ vel nigræ. Subtus albidus, & denſius nigro punctatus. Scuta abdominalia 152. Squamæ caudæ 43.

OBS. Morſus ſomnum infert, prorſus lethalem nec vincendum. Duos Lebetinos e *Cypro* mihi tranſmiſit amiciſſimus Dn. PETR. SJELVI, *Interpres Legationis*

Gallicanæ Kâhiræ. Hæc Species non parva eſt; an igitur veterum *Aſpis?* Sic enim hodie vocatur a literatis Cypri civibus; vulgus vero nominat Κȣφη: (*Kufi*) i. e. Surdus.

7. COLUBER GUTTATUS: *ſcutis abdom.* 230. *ſquamis caud.* 82.

DESCR. Longitudo $2\frac{1}{8}$ cubitorum: craſſities pollicis. *Caput* planiuſculum, ſubcordatum: vertice ſquamis duabus pallidis, oblongis, maximis; adeo ut vel 12 ſquamas alias, una harum exæquet. *Color* ſuperne griſeus, maculis dorſalibus fuſcis, ovalibus, magnis; lateralibus quadrato-emarginatis, parvis: ſubtus totus ſericeo-albus nitidusque.

LOCUS: Ad *Kâhiram* juxta agrum Trifolio conſitum ſe undulatum compoſuit, & agreſſores mortemque immotus ſuſtinuit.

OBS. Innoxius eſt. An *Coluber Tyr. Linn.?* *Haſſelquiſti* deſcriptio errore forte non vacat. Arabes communi ſerpentum nomine vocant *Tææbân.* ثعبان.

8. COLUBER HAJE. Arab. *Naſcher.* ناشر

OBS. Quum iratus morſum intendit, collum erigit & expandit quantum poteſt in longum, unde valde attenuatur; mox inde inimicum petit uno impetu. Geſticulatores Kâhirini frequenter illum circumferunt; exemtis dentibus nocivis: nihilominus artifices ipſi morſum evitant, quum collum dilatat. Veneni præſentiſſimi effectum repetito experimento in Columba vidi. Circumforaneus, me monente, veneni receptaculum preſſit, quod pellucido-flavicante ſucco ſtillabat. Hujus modicam partem vulneri leviter inciſo femori columbæ applicui. Illa principio nullum doloris indicium dedit; aſt intra horæ quadrantem in pectus delapſa, violentis convulſionibus capitis torquebatur, & poſtquam magnam aquæ copiam evomuit, illico mortua eſt. In diſſecta nihil fere intumuiſſe viſum eſt, præter inteſtina aliquantum diſtenta. Cætera omnia ſana.

9. COLUBER DHARA Arab.

DESCR. Longitudo plus quam cubitalis; craſſities vix digiti. *Caput* ovatum, obtuſum. Verticis *Squamæ* ut in ſequente; ſed ſquama inter oculos media, lateralibus latior. *Color* ſuperne cupreo-cineraſcens, ſquamarum marginibus albeſcentibus, immaculatus, ſubtus totus albus. *Cauda* corpore quintuplo brevior; ſed forte mutilata. Hinc Squamæ caud. non plures 48. Scuta Abd. 235. Unum tantum mihi videre licuit.

LOCUS: *Yemen* paſſim. Innoxius.

10. COLUBER SCHOKARI. Arab. شقاري

DESCR. Longitudo ſeſquicubitalis; craſſities digiti. *Color* ſupra fuſco-cinereus, vitta utrinque duplici longitudinali alba. In majoribus in medio dorſo (non autem juxta caput nec in cauda) *vitta* parva conflata gut-

tis

tis albidis, ſolitariis ad baſin ſquamarum intermediarum. *Vitta ſuperior* alba cinerea dimidio ſuperiore; prorſus vero alba dimidio inferiore. Ad marginem ejus ſuperiorem eſt linea anguſta, nigra, longitudinalis, continua: ad inferiorem, alia tenuior, interrupta. Vitta inferior altera tota nivea. Totum animal ſubtus pallide-cinereum vel albeſcens: verſus gulam flavicans: punctis fuſcis ſparſis; in gula frequentioribus. *Caput* ovatum, obtuſum. *Vertex* planatus ſquamis magnis: duabus ingentibus cuneatis pone oculos: 3 mediocribus inter oculos; media harum anguſtiore pone, longiore & incumbente. Ante laterales ſquamas interſeritur ſquamula ocularis. Inde os inter & regionem oculorum, duo paria ſquamarum verticem tegunt: & par ſquamarum minorum ori propius adjacet. *Cauda* duplo fere brevior corpore. Numeravi in uno Sc. abd. 183. ſq. caud. 144. in alio Sc. abd. 180. ſq. caud. 114. ſed cauda huic ſine dubio mutilata.

Locus: *Yemen* frequens in ſylvis montoſis. Fertur eſſe ovipara. Morſus non lethalis: ego certe non vidi dentes in ore majores, & veneniferos.

11. COLUBER bætæn. Arab. بتن

Descr. Totus maculatus albo nigroque. Longitudo pedalis: craſſities fere bipollicaris. Ovipara. Morſus in inſtanti necat, corpore vulnerato intumeſcente.

12. COLUBER hölleik. Arab. هليك

Obs. Totus ruber: longitudo pedalis: ovipara. Non quidem lethaliter mordet; at tumor ardens inſequitur; cui *Capparis antid.* Arabis *Oûd eddâhi* pro medela eſt. Solet etiam hominem afflare, & locus halitu tactus prurit: ſed frictus tela goſſypina rubra ſanatur. Habitat *Hadîe.*

13. COLUBER Arab. *Hánnaſch æſuæd.* حنش اسود

Obs. Totus niger: cubitalis: craſſitie digiti: ovipara Morſus non metuendus, ſed tumet vulnus aliquantum: ſolent ligatura prohibere veneni dilatationem: illudque exſugere, vel Capparidis uſu retundere.

Perhibent, ſerpentem hanc Camelorum latus intrare & per medium corpus tranſire, alteroque latere egredi; cum certa Cameli morte. Incolæ locum vulneratum ferro uſtulant candente; & hac arte ſervant pecus.

RAJA.

14. RAJA torpedo: *pinna dorſali adipoſa, corpore nigro maculato, cirrhis oris ſex.* Malapterurus electricus Lac.

Descr. Longitudo ſpithamalis: latitudo duorum pollicum cum ſemiſſe. *Corpus* læviſſimum, ſine ſquamis. *Color* dorſo & capite fuſcus, maculis

culis nigris, ad caudam pluribus: latera albeſcentia, maculis circularibus, nigris, lentis magnitudine: abdomen album, immaculatum. *Dorſum* & caput depreſſa. *Os* in apice capitis, truncatum, rectum. *Dentes* numeroſiſſimi, conferti, breves in utraque maxilla, ſetacei, nec emarginati: qua nota diſcedit a charactere generico Mormyri. *Tentacula* ad os ſex, pollicaria: unum in utroque limbo labii ſuperioris; & illis interjacent calli quatuor elevati. In labii inferioris margine tentacula quatuor: e quibus exteriora paulo longiora. *Oculi* inter os & aperturam branchialem medii, parvi, parum protuberantes, iride flava, pupilla nigra. *Apertura Branchialis* utrinque unica, linearis, obliqua, ſupra pinnas pectorales, ſemipollicaris. *Pectus* planum. *Anus* paulo poſt medium corpus. *Linea lateralis* recta, elatiuſcula, in medio latere. *Pinna dorſi* ſubpollicaris, a cauda diſtans ſemipollice, tota adipoſa, verſus caudam elatior, pone rotundata, fuſca, maculis paucis nigris. *P. Caudæ* fuſca, maculis nigris, margine rotundato, rubro *P. pectorales* obovatæ, rubræ, maculis paucis nigris, digitum transverſum longæ, remotiſſimæ, ſpatio ſeſquipollicari diſtantes. *P. Ventrales*, prope anum, ſemipollicem remotæ, lanceolatæ, digitum transverſum longæ, rubræ, non maculatæ. *P. ani* pollicaris, medio inter anum & caudam loco, pone rotundata, rubra, maculis nigris. *Radii* C. 9. V. 6. A. 12. C. 18. Omnes valde molles.

LOCUS: In *Nilo* inferiori rarius: mihi obveniebat in pago *Benha el áſal* ad Nilnm jacenti, Arab. piſcem hunc vocant *Raáſch.* رعاش

OBS. 1. An cum *Mormyro*, genere poteſt ſociari; vel inter Torpedines poſteriores Rondeletii locum invenire: aut potius novum conſtituere genus? Certe determinatur Torpedinis CHARACTER GENERICUS: *Piſcis branchioſtegus: apertura lineari, obliqua ſupra pinnas pectorales: corpore nudo: pinnis ventralibus, ſeu abdominalibus: dentibus numeroſiſſimis, denſis, ſubulatis.*

2. Ægyptii coctum edunt ſapidumque laudant. Notiſſima illis eſt ejus mira proprietas *tremefaciendi*, cauda mota leviter, dum caput ejus tangitur manu. Ipſe aliquoties experimentum hoc ſubivi. Motus tremoris leviſſimus erat; adeo ut ex ejus vi & celeritate ineptum ſit derivare doloris ſenſum Nihil vero Electricitati magis convenit, quam hic ictus. In manum ſublatus piſcis, aqua recens extractus, fortiter percutit cauda: fortius ſi ſub ventre tangatur, quam lateribus: & levius, ſi unum tantum attrectaveris latus. Mortuus mihi erat, unicus quem habui, ante veſperam; adeo ut explorare negatum fuerit, phoſphoriſet-ne in tenebris; vel valeat electricam vim communicare ferro ſericeis filis ſuſpenſo. In ſola caudæ verberatione vis conſiſtit: illam enim ſi tangis, aut illa apprehenſa piſcem ſublevas, nullo te ferit ictu. Græcus Káhiræ hoſpitans, de piſce quodam Archipelagi narrabat, eodem modo percutiente manus attrectantes; ſed planiorem noſtro deſcripſit, & Indigenis nominatum Μȣδιάςρα. Fabulam forte ſapit, Torpedinem ſalitum, manu detentum, fortiſſime ſtimulantem eſſe.

15. RAJA

15. RAJA lymma. Arab. U. *Corpore ovali, teſtaceo, maculis cæruleis; cauda pinnata aculeo uno.* Taeniura lymma

Descr. Vix pedalis magnitudinis: maxima; caudam ſi excipias. *Corpus* ovatum, teſtaceo-flavum, læve, maculis inæqualibus, ovatis, cæruleis. *Oculi* dimidio ultra caput elati. *Pinnæ pectorales*, corporis latera formant, pone acuminatæ. *Ventrales* ovatæ, incipientes ubi pectorales ſubſiſtunt, & paululum ante illas. *Cauda* aliquanto longior corpore: dimidio anteriore depreſſiuſculo: ſubtus alba, apterygia; ſupra teſtaceo-fuſca, vittis longitudinalibus duabus cæruleis. In media cauda ſuperne inſeritur *aculeus* unus: vel duo? longi, lati, cute veſtiti cæruleſcente-fuſca. Inde cauda compreſſiuſcula, tota cæruleſcens acuta, ſuperne & inferne membrana veſtita; inferiore autem multo latiore. Apex caudæ albeſcit, & totum corpus ſubtus. *Aculei* caudæ putantur venenati; ut in congeneribus. *Dentes* granulati.

Locus: Ad urbem *Lohajam* in Mari rubro.

16. RAJA sephen; *corpore ſuborbiculato; cauda duplo longiore ſubtus alata, ſupra aculeis duobus longis, utrinque ſerratis.* Hypolophus sephen

Descr. *Figura* corporis cum pinnis lateralibus, ſed ſine cauda ſpectati, ſuborbiculata; vel potius ab angulis extremis pinnarum pectoralium verſus caudam, ſemicircularis; verſus caput ſemi-rhombea. *Cutis* tota ſuperne plena tuberculis, & eapropter ſcaber, ſi digito exploretur verſus caput ducendo; at contra, non ſentitur ſcabrities. *Oculi* protuberantes, elati, adeo ut inter eos quaſi fovea. *Foramina* pone duplo grandiora illis, ſubverticalia, ſub-rhomboidalia, obliqua. *Tubercula* tria magna, ſeu calli oſſei, albi in medio dorſo, longitudinali ſerie poſiti hemiſphærici; medio illorum majore. *Color* ſuperne cinereo-fuſcus. *Subtus* tota planiſſima, læviſſima, albo-ruſeſcens; cauda quoque usque ad alam. *Narium* apertura fere longitudinalis. Nares maxima parte tectæ lobo coriaceo communi, labiiformi, cordato-truncato; ad latera cum ipſo ore convenientes. *Dentes* graniformes, planiſſimi, in ſuperiori maxilla quaſi fornicem verſus frontem formantes. *Aperturæ* branchiales utrinque 5. ad latera pectoris. *Anus* inter pinnas ventrales. *Pinnæ pectorales* latiſſimæ, quadriformes, apice poſtico rotundato, pinnæ ventrali incumbente. *P. ventrales* multo minores, quadriformes, ſub apice pectoralium inchoantes. In iſta Raja, quam examinavi, erant juxta exortum caudæ appendiculatæ, pinnæ ventrales. Appendices iſti, forte genitalia maris: conici, coriacei, a pinna liberi, apice poſtico pinnæ paulo breviores. *Cauda* corpore duplo longior, incipiens inter pinnas ventrales, usque ad ſpinas depreſſa, ſuperne tuberculata ut cor-

 pus

pus; poſt ſpinas teres, ſenſim attenuata; aculeorum exiguorum ſerie longitudinali, ſuperne. *Spinæ* in dorſo caudæ binæ (ſolitarias quoque reperiri, narrarunt mihi incolæ) lineari-lanceolatæ, longitudine diſtantiæ inter oculos, cute obtectæ, una ſupra alteram; utrinque carina longitudinali media, elata, obtuſa; lateribus utrinque ſerrata, aculeis baſin ſpinæ ſpectantibus. Apex earum in regione mediæ caudæ; ſic ordinem inchoantur. Adeo venenatæ dicuntur. *Ala* ſub cauda incipit paulo ante baſin ſpinarum, finitur $\frac{3}{4}$ parte caudæ: membranacea, nigra, verſus medium latior, flexilis, dependens: tota longo-lanceolata.

Locus: *Djiddæ* in mari rubro. Arabis *Sæfæn.* سفن Lohajæ *Syfen*, & *Sif* vocant illam grandioris ætatis; ſæpe diametro 3. ulnar. & ſpinis caudæ pedalibus.

Obs. An Raja aquila *Linn.?* Obſtat, quod aculeus caudæ duplex & apex pinnarum lateralium rotundatus, non acutus, ut deſcribitur *in Arted. Gen. p.* 72. neque noſtra inſtruitur roſtro.

Trygon uarnak Mh

16. b.) Raja. Arab. *Uárnak*, ورنك ſimilis deſcriptæ, ſed tota maculata, ſpina una vel duplici in cauda, quæ apterygia.

17. RAJA djiddensis; *caudæ pinna biloba; aculeorum ordine initio dorſi triplici, dein ſimplici; pinna dorſi prima ſupra pinnas ventrales.*

Rhynchobatus djeddensis Cuv

Descr. Longitudine duarum ulnarum vidi; latitudine $\frac{3}{4}$ uln. una cum pinnis pectoralibus. *Color* pallide-cinereus, pinnis dorſalibus & ani glaucioribus: maculis in dorſo & ad apicem pectoralium albidis, ovatis: ſubtus albeſcens poſt anum vittis aliquot fuſcis albisque inæqualibus. *Caput* trianguli æquiterni forma, valde depreſſum, obtuſum, ſubtus planiſſimum. *Cutis* ſubaſpera. *Oculi* verticales, magis a ſe invicem remoti, quam a latere capitis; iride alba, nigra margine. Ante oculos & intra eſt ſeries *aculeorum* curva, continuata ad baſin foraminum. *Os* ſubtus ad baſin capitis: labia extus calloſa dentibus hemiſphærico-ovalibus, contiguis, quincuncialibus. *Nares* paulo ante os obliquæ, ſubcurvæ, anteriori margine lobo medio, membranaceo, ovali, dependente, intus velut branchia alba fornicatæ. *Foramina* poſt oculos, ſemidiametro oculi ab iis diſtantia, transverſe-ovalia, oculis aliquantum majora; pone duplici carina cutis, perpendiculari, molli. Ore aperto aquæ non impeditus fluxus patet per os & hæc foramina. *Dorſum* elatius, convexius ante pinnam dorſalem primam; dein ſenſim depreſſum. *Cauda* fere plana. *Anus* linearis, longus, inter baſin pinnarum ventralium. *Margo* lateralis parum prominens linea elevata. *Spiracula* 5. utrinque, ſub pinnis pect. ad latera pectoris operculis pone ut litera S prona, exciſis. *Pinna* ani nulla. *Radii* vix numerandi; quum

quum pinnæ totæ quaſi coriaceæ. Subtus totus piſcis planus, poſt anum parum convexus.

Pinnæ pect. a capitis baſi dilatantur, ut margo qualiscunque corporis, figura trianguli obtuſi, latioris quam altioris; pone a corpore ſeparatæ, ventralibus quadruplo majores, medium fere corpus attingentes; jacentes in eodem cum abdomine plano. *P. dorſales* duæ, ſubtriangulares, altiores plus quam latæ, antice declives, apice rotundatæ ſuperne, pone parum exciſæ, lobo inferiori multo minori, acutiore, ſubtus a corpore libero. Dorſalis *anterior* major incipit in medio corpore, ubi pectorales deſinunt & ventrales ordiuntur: *poſterior*, caudæ propior quam dorſali priori. *P. ventrales* pariter ac pectorales ſitæ in margine corporis, ſed quadruplo minores; cæterum ejusdem figuræ, niſi quod lobus poſticus a corpore liber, longior, exteriore margine parum exciſus. *P. Caudæ* fere convenit figura cum dorſali; pone exciſa, lobo ſuperiori altiore, longiore, anguſtiore.

Aculei paulo poſt foramina nuchæ: nam ſimul cum pinnis pect. incipit in medio dorſo ſeries recta aculeorum continuata, prope ad primam pinnam dorſi. Parum poſt hanc ſeriem, incipit ab utroque ejus latere alius ordo aculeorum minorum, divergens, incurvus, deſinens circa medium pinnarum pect. in medio interruptus. Ab his ſeriebus lateralibus pari diſtantia abeſt verſus pinnam pect. *callus* elatus, ſeu carinula, duorum triumve aculeorum. Ordo aculeorum unicus eſt in medio dorſo inter pinnas dorſales, incipiens ubi deſinit inferior lobus pinnæ dorſalis primæ: deſinens ante dorſ. ſecundam; & pone illam nulli aculei.

Locus: *Djiddæ* in mari rubro. Perhibetur, illam alia non frequentare littora quam *Arabiæ Hedsjâs*: haud vero ad *Suês* vel *Móchham* videri; quod vix crediderim, quum mihi *Lohajæ* obveniebat. Arabis *Rget* رقيطة Lohajæ *Bokhât.* بقطة Aliis *Ærâb.* عراب Edulis, ſapidior Squalo: Jecoris idem uſus. Pelagum magis frequentat.

18. RAJA halavi. Arab. حلوي *Rhinobatus halavi Rupp.*

Descr. Charactere cum *Linn.* Rhinobat. apprime convenit, qui tamen notis nimis generalibus ſe diffundit.

Præcedenti Djiddenſi adeo ſimilis; ut ſequentibus ſignis ab illa dividenda ſit: congruit figura corporis, capitis, oculorum, narium, oris, foraminum ocularium & branchialium atque colore ſub corpore. *Differentia* eſt: a) *color* ſuperne cinereus, flaveſcens: pinnæ pallide-flavæ. b) *Margo* prominens, evidens, integerrimus, incipiens eadem regione

 cum

cum pinna dorſ. prima. c) *Corpus* ſuperius ſcabrum tuberculis, qui verſus medium dorſum elatiores atque ad interiorem oculorum marginem, ubi aculeorum fere ſiſtunt formam. d) *Aculei* dorſali ſerie fere unica eunt, incipiente poſt oculos, deſinente ante pinnam dorſ. primam: poſt illam aculei non, ſed tubercula majora. Ab initio hujus ſeriei utrinque exſtat callus lateralis, elatus, aculeis aliquot armatus. e) *Pinnæ pect.* non triangulares, ſed extus rotundatæ, ſemicordatæ, & ſimul cum capite figuram cordatam ferentes. f) *P. ventr.* incipiunt ante apicem poſticum pectoralium, ſemi-ovatæ: lateri interiori (in noſtra & unica quam vidi) in ſingula pinna ventr. junctus erat *appendix* linearis, compreſſus, ſubcartilagineus, a pinnæ apice liber: ſuperne ſulco longitudinali ad latus exterius: juxta apicem utroque latere perforatus: pinna ſeſquilongior. Relatum mihi eſt, hos appendices in foemellis non adeſſe, ſed genitalia marium eſſe; quod mirum mihi videtur, ignaro hujus ſtructuræ in aliis Rajis. g) *P. dorſalis prima* poſt apicem appendicum ſita, in $\frac{2}{3}$ parte corporis, triangularis, pone vix excisâ, nequaquam biloba. h) *P. d. ſecunda* loco medio inter priorem & caudam; paulo major dorſ. anteriore; ejusdem vero figuræ. i) *P. caudæ* illam ambit, tamen nonniſi ovata, obliquo margine pone, non bilobo.

Locus: *Djiddæ.*

Obs. *Ova Rajæ vulg.* nigra, veſicaria, utroque apice bicornia: Græcis Ρίνα διουδῶν. In Febri intermittente pro medicina domeſtica adhibentur: carbonibus candentibus impoſita, ægro, paroxyſmo inſtante fumum obvelato capite ore naribusque hauriente. Geminato tentamine febrem ceſſare, affirmabant mihi Conſtantinopoli piſcatores Græci.

SQUALUS.

19. SQUALUS CARCHARIAS. Arab. *Gerſch* vel *Kerſch.* قرش

Obs. *Djiddæ* duæ Species ſimillimæ; his tantum notis invicem diſtinguendæ.

Minor: dentibus microſcopio inſpectis, latere ſerratis: *dorſo* non admodum gibbo: *pinnis* omnibus apice nigris, quem colorem maturiore ætate amittere dicunt Arabes: *pinna dorſ.* quadruplo minore anteriori & dimidio anguſtiore pone. Arab. *Alka* & *Æâs. Major: pinnis dorſ.* immaculatis, ani tantum & caudæ margine inferiore fuſceſcentibus: pinna dorſ. *poſteriore* ſubæquali priori & pone paulo latiore. Lohajæ parvus vocatur *Æâs:* عوس maturus *Zyfa.* زفا Carchariæ caro ſapida; excepto *Jecore;* quod ſi nigri coloris, eſt piſcis macer, ſi albi, eſt pinguis. Venditur nomine *Sife;* optimum medicamen Siphyliticis. *Maſâſa,* مصاصه

SYSTEMA

SYSTEMA LACERTARUM.

1. MONODACTYLÆ.
   43. *Syſt. Nat.* ANGUINA.
2. TRIDACTYLÆ.
   42. CHALCIDES. Ventre repens.
3. TETRADACTYLÆ.
   25. VULGARIS, cauda tereti.
   26. AQUATICA, cauda compreſſa, integra.
   8. PALUSTRIS, cauda enſiformi, ſupra crenata.
   20. SALAMANDRA, poroſa.
   41. LINEATA? lineis 4. flavis.
4. PENTADACTYLÆ.
5. ANOMALÆ.
   19. CHAMÆLEON: digitis 2. & 3. coadunatis.
6. PALMATÆ.
   1. CROCODILUS, triungulatus, plantis tetradact.
   2. CAUDIVERBERA, cauda plana.
7. MUTICÆ: absque unguibus.
   22. STINCUS, ped. marginatis.
   21. GECKO, ped. ſubtus lamellatis.
   11. MAURITANICA, cauda verticillata.
8. PLICATÆ, lateribus.
   17. SEPS: ſutura reflexa.
   36. TEQUIXIN: ſutura undulata.
9. CRISTATÆ.
   27. BASILISCUS: dorſo pinnato.
   28. IGUANA: dorſo & gula.
   3. SUPERCILIOSA: dorſo & ſupercil.
   4. SCUTATA: dorſo & occipite.
   29. CALOTES: humeris & occipite.
   30. AGAMA: collo & occipite.
   31. UMBRA: nucha.
   6. PRINCIPALIS: gula criſta integra.
   33. MARMORATA, gula carina ſerrata.
   34. BULLARIS: gula veſicularis.
   35. STRUMOSA, jugulo prominente.
10. LINEATÆ.
   38. PUNCTATA: lineis 2.
   16. ALGIRA: lin. 4.
   41. LINEATA: lin. 4.
   40. FASCIATA: lin. 5.
   39. LEMNISCATA, lin. 8.
11. - - - -
   9. CORDYLUS: cauda dentibus dentatis, corpore lævi.
   10. STELLIO: cauda dentibus dentatis, corpore muricato.
   12. AZUREA: c. dent. mucronatis.
   14. AMEIVA: cauda dent. linearibus: plica gulari.
   15. AGILIS: cauda dent. lin. plica gul. monili.
   7. BICARINATA: cauda bicarinata.
   18. ANGULATA: cauda ſexangulata.
   23. 24. ORBICULATA: ventricoſa.
   37. AURATA, lateribus fuſcis.
   5. MONITOR, faſciis moniliformib.
   13. TURCICA, verrucoſa.

PISCES.

MURÆNA.

1. MURÆNA GUTTATA: *glauca, guttis nigris; macula majori utrinque prope caput.*

DESCR. Nonniſi parvulam vidi. *Iris* aurea. Callus elatus inter oculos. *Labium* ſuperius brevius. *Pinna* dorſi & ani cum baſi pinnæ caudæ connexa.

RAD. B. 6. D. $\frac{1}{43}$. P. 9? V. 0. A. 36. C. 10.

DJIDDÆ. Arab. *Sjææka.*

2. MURÆNA TOTA CINEREA. Arab. *Sjæga* vel *Schæga* شاقة, nomen commune toti huic generi.

DESCR. *Membr. branch.* oſſibus utrinque 20. evidentibus, & uno in medio. *Aperturæ* duæ pone branch. juxta pinnas pect. *Pectorales* lanceolatæ, obtuſæ: radiis fere 18. *Pinna dorſi* caudæ & ani in unam ambientem coalitæ. *Maxilla ſuperior* longior, præter dentes maxillares, inſtructa intus oſſe longitudinali, dentibus validis, erectis, compreſſis, retrorſum longioribus & remotioribus; poſtici trilobi. *Linea lateralis* primum ſupra medium corpus, dein ſenſim infra medium. *Anus* ante medium corpus. *Color* totius cinereus: venter albidior: margo pinnas ambiens niger.

DJIDDÆ. An *Myrus* Linn.? Ab Artedio imperfecte deſcribitur. Species an Varietates: *Alba: rubra: flava.* Frequens ad littora ſaxoſa & brevia. Caput veneno ſuſpectum habetur; quod ſemper avellitur, ſi piſcis menſæ deſtinatur.

GADUS.

3. GADUS an BLENNIUS? An potius novus, nomine SALARIÆ: *dorſo monopterygio, cirrhis nullis.*

DESCR. Parvus, ſpithamalis. *Caput* valde declive: vertice carinatum. *Corpus* nebuloſo-variegatum. *Pinna dorſi* a capite ad P. caudæ. *P. ani* ab ano ad P. caudæ. *Linea lat.* obſoleta; ſupra dimidium corporis. Maxillæ velut ciliatæ *dentibus;* utrinque *canino* majori, in inferiore maxilla longe majori. *Cauda* integra.

RADII B. 6. D. 36. P. 14. V. 2. A. 26. C. 13.

ALEXAN-

ALEXANDRIÆ & in *Archipelago.* Græcis hodiernis Σαλάϱιά. Σαλιαϰῦδα.. *Alexandrinis Garmuth* vel *Garamit* quo nomine Káhirini Silurum anguillarem appellant.

BLENNIUS.

4. BLENNIUS GATTORUGINE: *dorſi pinna unica cum pinna caudæ connata; capite obtuſiſſimo, cirrhis tribus ſupra utrumque oculum, & utrinque ſenis in poſtico vertice.* Salarias fasciatus Cuv.

DESCR. Singularis prorſus faciei; lanceolatus. *Caput* leonis; antice perpendiculare, rotundatum. Labia latiſſima, obtuſiſſima; inferius labium, brevius. *Dentes* in utraque maxilla unius ſeriei numeroſiſſimi, filiformes, flexiles, conferti. *Oculi* parum remoti, admodum protuberantes, iride glauca, radiis 9. rubris. *Latera* capitis parallela, glauca, guttis cæruleis ſparſis. *Gula* lituris transverſis & media longitudinali cæruleis. *Membr. branch.* recta juncta. *Vertex* convexus; pone duplici faſciculo cirrhorum brevium ſenorum, albidorum, fuſco-faſciatorum. *P. Dorſi* a capite incipiens: pone membrana connexa cum ipſa baſi pinnæ caudæ. *P. caudæ* æqualis. In omnibus pinnis præter dorſalem radii membranam ſuperant. *P. ani*, ab ano incipiens terminatur paulo ante caudæ apicem; radiis ſenſim decreſcentibus. *Color* piſcis glaucus; dorſo anteriore nigro punctato. *Anus* ante medium corpus. *Abdomen* poſt anum albido-maculatum. *Squamæ* prorſus nullæ. *Radii* dorſales primi 12. membrana breviores & apice molli terminatis; ſed ſub apice rigidiores, pungentes. *Cirrhi* palmati nuchæ & ſuperciliorum: & ante utrumque oculum cirrhus brevis, bipartitus. *Dorſum* poſterius cæruleo-guttatum.

RAD. B. 5. D. $\frac{12}{30}$. P. 14. V. 2. A. 19. C. 13. Admodum parvus; dimidium ſpith. Ideo non capitur. Cuniculos in coeno inhabitat: unde matutino tempore ſolet egredi, in porta apricans. Simul cum illo eandem domum occupat *Vermis* Arab. dictus *Abu kobkab* ابو قبقاب capite variegato; etiam edulis, ſi decorticetur. Ille ſervi inſtar, domum verrit capite, dum Blennius otioſus ſedet ſpectator.

Arab. *Koſchar eddjin.* كشر الجن i. e. Sciæna diaboli. Dactylis adhuc immaturis ludit.

GOBIUS.

5. GOBIUS ANGUILLARIS: *cute molliſſima, ſquamulis adnatis: pinnis dorſi primis, radiis 5; poſterioribus eminentibus, filiformibus.* Paragobius arabicus Kl.

DESCR.

Descr. Longitudine digiti minimi, ſed anguſtior multo: ajunt hanc ejus ſtaturam eſſe adultam. *Color* fuſco-vireſcens, maculis rubro-violaceis plurimis, ſparſis, ſæpe in nebulas confluentibus: punctis cæruleo-nitidis in capite & corpore. *Squamæ* minutæ; adnatæ tam arcte, ut cutis mollis ac nuda ſentiatur. *P. caudæ* cuneata. P. omnes maculatæ. In *p. dorſali* prima, radii 5 poſteriores filo rubro membranæ duplo longiores.

Rad. B. 4. D. 6. 14. P. 16. V. 12. A. 13. C. 17.

Djiddæ. Arab. idem nomen cum Blennio.

6. GOBIUS nebulosus: *ſquamis aſperis, fuſco-nebuloſis: pinnæ dorſalis primæ radio ſecundo filo longo nigro.*

Gobius criniger Cv.

Descr. *Magnitudo* tripollicaris: latitudo digiti. *Color* albidus, maculis fuſcis in nebulas confluentibus in capite, dorſo, lateribus: abdomen album, immaculatum. *P. pectorales* glaucæ; baſi maculis obſoletis, fuſcis. *Ventrales* fuſceſcentes. *Dorſales* & *Caudæ* hyalinæ, guttis plurimis, fuſcis. *P. ani* hyalina, margine exteriore nigro. *P. Caudæ* rotundata. *P. dorſalis* primæ radius ſecundus terminatus filo nigro, ſetiformi, duplo longiori membrana pinnæ. *Oculorum* iris alba; pupilla cæruleſcens. *Squamæ* ſat magnæ, rhombeæ, rigidæ; cutem aſperam reddentes.

Rad. B. 7. D. 6. 11. P. 18. V. 12. A. 11. C. 14.

Djiddæ. Arab. *Hout eddjinn.* حوت الجن

COTTUS.

7. COTTUS massiliensis, *capite polyacantho, pinnis dorſalibus coadunatis.*

Obs. Ambigua Species: an *Scorpæna ſcropha? Cottum Cataphractum Artedius* deſcribit pinnis dorſ. coadunatis, *Linn.* vero liberis. *Cottus Scorpius* capite polyacantho, ſed pinna dorſali poſteriori mutica; & cum noſtro non congruit. Si aliquando obveniret Cottus maſſilienſis pinnis dorſ. ſeparatis; character petendus, a *primo radio pungente pinnæ dorſalis poſterioris.*

Differentiæ ab Art. Cotto Scorpio: a) locus inter oculos non elatus, ſed cavus, p 86. b) *Sp.* 8. pinnæ pectoralis oſſicula non ſimplicia, ſed quædam apice bifida; oſſicula 2—6 a dorſo. c) *ib.* pinnarum ventr. radii non 4; ſed $\frac{1}{6}$ ſunt; & primus non adeo arcte adhærens ſequenti, ut pungere nequeat; ſed remotus & acutus. d) *ib.* pinnæ ani radii non 11 vel 12; ſed $\frac{3}{9}$. e) *ib.* 9. pinnæ dorſ. non 2 ſibi fere contiguæ; ſed unica continua, quamvis medio paulo depreſſior. f) Pinna dorſ. poſterior mere mollibus radiis non conſtat; ſed ubi altitudine membranæ alterius pinnæ initium indigitatur, ibi radius pungens. g) Pinnæ dorſ. radii in noſtro $\frac{12}{22}$. Spinoſi a primo (a capite) ad tertium gradatim longiores: a 3 ad 11 incluſ. gradatim minores: omnes hi membrana longiores. Ultimus, ſeu 12. radius

ſpi-

ſpinoſus antecedenti dimidio longior, vix ſuperans membranam pinnæ. Sequentium radiorum mollium ſeptem longiores plus duplo membrana pinnæ, bifidi; reliqui minores, toti connexi.

Rad. B. 6. P. 17. V. $\frac{1}{6}$. D. $\frac{12}{22}$. A. $\frac{3}{9}$. C. 12. Gall. *Raſcaſſe.*

8. COTTUS rogad; insidiator. Platycephalus insidiator Kl.

Descr. *Corpus* adeo depreſſum, attenuatum verſus caudam, ſuperne griſeum; punctis maculisque fuſcis, ſubtus album. *P. C.* alba, macula media flava, bifida; maculisque duabus inæqualibus atris, linearibus obliquis. *Vertex* lineis elatis, acutis ſcaber. Ad capitis latera utrinque ſpina duplex. *P. Ventrales* poſt pectorales ſitæ: baſis earum ad baſin pectoralium intus extenditur.

Obs. In arenoſis habitat, arenam ingrediens, ubi piſcibus inſidias ſtruit. Homines aquam ingreſſi, pedibus eum proculcantes, latebris expellunt.

Rad. B. 8. D. $\frac{1}{1}$. $\frac{7}{7}$. $\frac{0}{13}$. P. 19. V. $\frac{1}{6}$. A. 14. C. 15. Long. ulnar. $1\frac{1}{2}$

Arab. *Rágede. Rogad* vel *Raked.* راقد

SCARUS.

Scarus novum genus antiquo nomine Σκάρος. Character genericus: *Dentium loco maxillæ ipſæ eminentes, margine dentato-crenatæ, oſſeæ.*

9. SCARUS siganus; rivulatus; *maxillis continuis, complanatis, margine ſerrato-denticulatis: denticulis approximatis, filiformibus; a medio labio paulatim decreſcentibus.* Teuthis sigana Gk.

Descr. *Branch.* radiis 5. *Opercula* integerrima. *Spinæ* dorſales & ani in foſſula recumbunt. *P. ventrales* radio primo & ultimo ſpinoſo, fortiore. *P. ani* radii ſpinoſi. *Squamæ* minutiſſimæ. *Ramenta* poſt ſpinas dorſales exilia ad apicem. Cæruleſcens, maculis nigris, rivulis flavis longitudinalibus. *Spina* ante pinnam D. *Cauda* bifida. *Radii Ventr.* primus & ultimus pungentes. Radios ſpinoſos venenum ferre putant; quia locus vulneratus, inflammatur cum tumore & ardore; poſt aliquot horas ceſſante. Piſcis edulis; ſed neſcio quam incaleſcendi vim ei adſcribunt. Victitat herbis, imprimis *Zoſtera.* Adipe carbonibus ignitis liquefacto, ungunt genua, gonagra laborantes. Piſcis *Lohajæ* $\frac{1}{2}$. uln. longus; *Basræ* fere ulnæ.

Rad. B. 5. D. $\frac{13}{23}$. P. 15. V. $\frac{1-1}{5 \text{ vel } 4}$ A. $\frac{7}{16}$. C. 17.

Arab. *Djezavi.*

Obs. Videtur genus proprium una cum ſequente conſtituere; quum habitus prorſus proprius. Nomen *Sigani* deſumtum ex Arab. *Sidjan.* vel *Sigian.* سجان

10. SCARUS stellatus; *ovalis; faſciis annulis cæruleo-pallidis, ſubhexagonis, undique contiguis.*

Lenthis stellatus

Descr. *Labia* æqualia; ſuperius non protractile. *Nares* utrinque duplices remotæ, parvæ, rotundæ, æquales. *Oculi* aliquantum remoti; iride flava. *Vertex* planiuſculus, carinis 2 longitudinalibus, obtuſis, antrorſum convergentibus. *Opercula* ſquamata, integerrima, pone ſtriata. *Dorſum* & *abdomen* curva. *P. pectorales* obtuſæ, flavicantes. *Spinæ dorſales* & *ani* recumbunt in *foſſula:* ſed ipſi margini foſſulæ radii alternatim ſunt inſerti. Spinæ dorſales parvis ramentis pone ad apicem. *Caudæ* pinna biloba, lobis obtuſis. *P. dorſi* & *ani* pone obtuſa. *P. ventralium* radius primus & ultimus validiores, ſpinoſi, æquales; radiis interioribus baſi approximatis. *Anus* pinnis ventralibus reconditus, & ad limitem earum membranæ ſitus. *Linea lat.* non conſpicua. *Cauda* apice latior. *Spinæ ani* ſubæquales, prima minor. Ante pinnam dorſi *ſpina* antrorſum verſa, ſub cute recondita. *P. pect.* flavæ; reliquæ nigræ. Dorſalis & ani pone flavæ. Interdum in P. Caudæ lituræ flavæ laterales. *Color* corporis nigricans, annulis hexagonis parvis, undique contiguis, ubique adſperſis; interdum albidis maculis ſeu guttis hexagonis nigris vel flavicantibus. *Squamæ* rotundæ, parvulæ.

Djiddæ. Arab. *Ghæjthan.* غيثان

Rad. B. 5. D. $\frac{13}{24}$ P. 16. V. $\frac{1-1}{5}$. A. $\frac{7}{17}$. C. 17. Longit. $\frac{1}{4}$. uln. Inter Corallia parcior; herbis victitans. Corbe venatur, non hamo.

11. SCARUS gallus; *obſcure-viridis, capitis abdominisque lineis violaceis, pinna caudæ biſurca; medio flava. An Labrus lunaris Linn?*

Julis lunaris Cu

Descr. *Dentes* ſubulati contigui, unius ſeriei: medii majores, remoti. *Labium* ſuperius protractile: *inferius* ei æquale, ſubtus utroque latere uniplicatum. *Oculi* remoti: iride viridi; rubri ad marginem pupillæ. *Squamæ* laxæ, ſtriatæ, margine membranaceæ: ſingulæ faſcia transverſa, purpurea. *P. pectorales* ovatæ, obtuſæ, cæruleæ, medio violaceæ. *Ventrales* cæruleæ: linea longitudinali purpurea inter radium ſecundum & tertium ab exteriore margine numerando: radius ſecundus longo filo terminatur. *P. dorſ.* & *ani* lineares, baſi violaceæ; margine exteriore cæruleo, extus viridi. *P. caudæ* biſurca, medio flava, verſus latera violacea, margine cærulea. *Linea lat.* ſubramoſa; a capite recta, dorſo propinqua; ſed verſus finem pinnæ dorſi præceps; & dein recta pergens

gens

gens per medium caudæ. *Color* obſcure-viridis. In capite lineæ variæ purpureo-violaceæ; in latere & vertice longitudinales, ſub labio inferiore binæ transverſæ. Abdominis vittæ longitudinales duæ, violaceæ, media viridi a capite ad pinnas Vent. deinde ad p. ani cærulea: per totum corpus lineæ transverſæ violaceæ tot, quot ſeries ſquamarum. Venenatiſſimum ferunt, vel leviter tactum.

Lohajæ. Arab. *Dîk el báhr* vel *Mogharred.*

Rad. B. 5. D. $\frac{8}{22}$. P. 14. V. $\frac{1}{6}$. A. $\frac{3}{14-15}$. C. 15.

12. SCARUS purpureus; *obſcure-viridis; vittis utrinque tribus purpureis: ventre cæruleo; pinnis dorſi & ani linea purpurea: caudæ medio truncata.* *Julis purpurea Rüp.*

Descr. Pulcher: lanceolato-truncatus: affinis Mullis ob ſquamas laxas & lineam lateralem ramoſam; magis convenit cum Labro. (34.) *Dentes* validi, conico ſubulati, unius ſeriei; duo medii in utraque maxilla multo fortiores; remoti. *Labia* obtuſiſſima, æqualia: ſuperius protractile. *Vertex* convexus, nudus, fuſcus: ante oculos triangulo utrinque purpureo: in vertice ambo connati. *Opercula* nuda, integerrima, obſcure-viridia: macula quadrata, purpurea, emittente ad oculum ramum unum & ſubtus ramos tres curvos, ejusdem coloris. *Margo* poſticus operculi poſterioris purpureus, qui vitta continuatur ſupra baſin pinnæ pect. *Vittæ laterales* purpureæ, tres rectæ: infima paulo poſt pinnam pectoralem abrupta angulo deſcendente: dein continua ad apicem caudæ; ac dentata. *Vitta media* latior in medio corpore, infra æqualis: ſupra ſerrato-dentata. *Suprema* prope dorſum latiſſima, obſcurior, utrinque dentata. *P. pectorales* virides, pone lunatæ: ad apicem macula magna lunari, marginali, nigra. *P. dorſi & ani* baſi vix ſquamis ſepta: verſus baſin vitta longitudinali purpurea, ſubrepanda: radiis ſpinoſis, membrana brevioribus: pone valde ramentaceis, ramentis in ſuprema membrana hærentibus. Cæterum P. dorſi obſcure-viridis & latera corporis: P. ani cærulea & gula atque abdomen. *P. ventrales* totæ cæruleæ: interjecta membrana brevi, ovata. *M. Branch.* ſub ipſa baſi capitis connexæ & operculi angulis latis, rotundatis, ſub gula ſe imbricantibus, obtectæ. *P. Caudæ* viridis, maculis aliquot purpureis longitudinalibus in medio & ad utrumque latus, vitta longitudinali purpurea, juxta marginem; Medio truncata; vel ſi expanditur pinna, rotundata: utroque margine apex longior prominet; dorſalis vero longior & acutior ac magis curvatus inferiore. *Linea lat.* ramoſa; ſupra dimidium corpus: primum recta & dorſo parallela: dein ante finem P. dorſalis præceps; ac poſtea recta tranſiens per mediam caudam. *Squamæ* laxæ, latæ, rhombeæ, ſtriatæ.

 Oculi

Oculi parvi, remoti: iride purpurea. *Nares* oblique ſupra oculos; transverſæ, oblongæ: ante illas *foramen* rotundum, parvum, cum *conulo* carneo in medio, cirrhi inſtar.

Djiddæ. Arab. *Dúrrat el báhr.* درة البحر i. e. Pſittacus maris.

Rad. B. 5. D. $\frac{8}{22}$. P. 15. V. $\frac{0}{6}$. A. $\frac{2}{14}$. C. 12. longit. $\frac{1}{4}$. uln. inter corallia frequens: ſapidus.

13. SCARUS ghobban; *cauda æquali, maxillis albidis; lituris capitis & pinnarum margine exteriori viridi-cæruleis.*

Descr. *Maxillæ* Tetraodontis, crenulatæ, albidæ; caninis nullis. *Labia* margine flaveſcentia; baſi viridi-cærulea. *Lineolæ* capitis viridi-cæruleæ, ſupra & infra oculos: pone oculos in medio una brevis: una trans gulam: alia ad marginem poſticum operculi anterioris: trans verticem alia obſcura. *P. pect.* obtuſæ, hyalinæ, margine ſuperiori baſi tantum cæruleæ. P. reliquæ violaceo-rubentes; margine exteriore viridi-cæruleæ: p. dorſi & ani ad baſin vitta longitudinali ejusdem coloris. *P. caudæ* truncata; pone vireſcens. Corporis color albidus: ſed ſquamæ ſingulæ in medio faſciola una cæruleſcente, transverſa & alia ad baſin fuſca: ſtriis denique fuſcis, tenuibus, longitudinalibus: unde piſcis facies maculoſa. *Abdomen* dorſo magis curvum. *Linea lat.* ramuloſa, duplex: prima dorſo propinqua, juxta caput aſcendens; dein ſubrecta; demum, ubi finitur pinna dorſi, deſcendens. Altera incipit ante prioris finem, itque recta per mediam caudam.

Pseudoscarus ghobban Rü

Rad. B. 4. D. $\frac{0}{19}$. P. 14. V. $\frac{0}{6}$. A. $\frac{0}{12}$. C. 12.

Djiddæ. Arab. *Ghobban.*

14. SCARUS niger: *ovato-oblongus, nigro-fuſcus: labiis rubris: maxillis lituris capitis pinnarumque, exceptis pectoralibus; margine exteriori viridi-cæruleis*

Descr. Scaro (12) multum ſimilis. *Maxillæ* medio fiſſæ; ſubmobiles, margine acutæ, crenatæ. In ſuperiori *Labio* utrinque canini duo, patentes, albi: labium, margine late rubrum, dein fuſco-virens: inferius tenui margine rubrum; poſtea faſcia lata, obſcure-viridis, quam ſequitur alia obſcure-rubra. *Gula* vitta longitudinali, obſcure-viridi. Circa *Oculos* pone & verſus inferiorem marginem operculi anterioris lineæ fuſco-vireſcentes. *P. pect.* obſcure-ferrugineæ, baſi fuſcæ: reliquæ fuſco-violaceæ, margine exteriori viridi-cæruleæ, ut & poſtico. *Dorſum* & abdomen æqualiter incurvata. *Cauda* vireſcens, recte protenſa: pinna

pinna medio truncata: angulis dimidio longioribus, obtuſiuſculis, lanceolatis. *Linea lat.* ramuloſa, duplex, prior dorſo propior, ſub fine pinnæ dorſ. aſcendens: altera, per mediam caudam recta.

Rad. B. 5. D. $\frac{0}{20}$. P. 14. V. $\frac{0}{6}$. A. $\frac{0}{12}$. C. 13. Arab. *Chadri.*

15. SCARUS ferrugineus; *corpore fuſco-ferrugineo: maxillis margineque pinnarum exteriori viridibus: cauda æquali.*

Descr. *Corpus* ovato-oblongum; fuſco-ferrugineum. *Maxillæ* medio bifidæ, margine tenues, crenulatæ; canino nullo ſubmobiles: cæruleo-virides, nudæ. *Pinnæ pect.* colore corporis: ventrales & ani violaſcentes: dorſi & caudæ flaveſcentes. *P. caudæ* baſi ſquamis longis, lanceolatis; complicata, truncata; expanſa, rotundata. *Dorſum* & *Abdomen* æqualiter curvatum. *Cauda* recta protenſa. *Linea lat.* duplex, ramoſa; prior dorſo propinqua a capite ad regionem finis pinnæ dorſ. altera per medium corpus: incipiens ubi prior deſinit. *Radii* ſimplices: pinnarum cartilagine tenui, intra membranam terminati.

Rad. B. 5. D. 20. P. 13. V. $\frac{0}{6}$. A. $\frac{0}{12}$. C. 13. Arab. *Abu meles.*

16. SCARUS psittacus: *vireſcens, lineis flavicantibus, pinnarum margine, vitta abdominali, characteribusque capitis cæruleis.* Pseudoscarus pyrrhostethus Bleek

Descr. *Maxilla* utraque binis oſſibus, in medio ſeparatis, crenulatis: ſuperior utrinque tribus dentibus, patentibus: inferior utroque latere uno. *Cærulea* ſunt: margo utriusque labii: linea a labio ſuperiori ſub oculum producta, curva: linea utrinque transverſa in labio inferiore: linea media longitudinalis ſub toto capite: linea longitudinalis ad marginem inferiorem operculi. *Opercula* laxe ſquamata, integerrima. Pinnæ omnes purpureæ: pectorales tantum ſuperiori margine: reliquæ margine cæruleæ. *Dorſum* abdomine rectius. *Cauda* ſurgens: pinna cæruleo maculata, medio truncata; utroque angulo marginali productiori. *Squamæ* ſtriatæ. *Lin. lat.* ramuloſa, duplex: prima, rectiuſcula, dorſo propinqua, terminata ſub fine pinnæ dorſi: altera ſub illa eodem loco incipit in medio corpore & recta incedit per mediam caudam. *P. Caudæ* baſi utrinque tribus ſquamis ovatis, magnis. In pinna dorſi radii primi 9 ſimplices, ſed non rigidi, nec pungentes. *Oculi* parvi, remoti.

Rad. B. 5. D. $\frac{9}{20}$. P. 13. V. $\frac{0}{6}$. A 11. C. 12.

Djiddæ. Arab. *Dúrrat el barr.* درة البر i. e. *Pſittacus terræ.*

17. SCARUS harid: *cauda biſurca, media baſi ſquamis ſepta.*

Descr. *Maxillæ* eminentes, crenatæ, medio fiſſæ: crenis interdum in maxilla inferiore pone excreſcentibus in dentes ſubulatos, duos, tenues, latos: in ſuperiore labio utrinque caninum conicum. Labium ſuperius longius. *Vertex* & gula nuda, latera capitis ſquamata: corporis ſquamæ magnæ, laxæ. *Lin. lat.* ramuloſa, recta, duplex: prima, a nucha ad baſin pinnæ dorſi; dorſo propinqua. Altera incipit in medio latere poſt anum, abit recta ad medium caudæ, ubi ſquamæ laxæ pinnam Caudæ ſepiunt. *P. dorſi & ani* coriaceæ, violaſcentes. *P. Caudæ* violacea, lunata, medio truncata. *Abdomen* violaſcens, *P. pect.* flaveſcentes. *Cirrhi* nulli.

Rad. B. 4. D. $\frac{0}{20}$. P. 15. V. $\frac{0}{6}$. C. 11. A. 13. Arab. *Haríd.* حريد

18. SCARUS sordidus, *maxillis rubentibus, corpore fuſco ferrugineo, pinnis obſcurioribus, cauda ſurgente pinna æquali.*

Descr. *Maxillæ* Tetraodontis, medio fiſſæ, ſubmobiles: labiis non tectæ: margine tenues, crenatæ: canino nullo: albo rufeſcentes. *P. pect. & caudæ* flaveſcentes: ventrales violaſcentes: dorſi fuſcæ. *Lin. lat.* duæ, rectæ, ramuloſæ: euntes eodem modo ut in Scaro pſittaco: (16.): *P. caudæ* complicata truncata; expanſa, rotundata. *Corpus* anguſtum, oblongum, dorſo recto, abdomine incurvo, cauda ſurgente. *Radii* pinnarum ſimplices, cartilagine tenaci, intra membranam terminati. In pinna dorſ. 9 ſimplices: in pect. primus: in p. ani tres.

Rad. B. - - D. $\frac{0}{20}$. P. 14. V. $\frac{0}{6}$. A. $\frac{0}{12}$. C. 12. Arab. *Biſſ.*

MULLUS.

19. MULLUS auriflamma: *cirrhis duobus albis, vitta utrinque fulva; dorſo fuſco æneo: caudæ pinna flava, immaculata.*

Descr. *Dentes* exigui, numeroſi, denſi. Capitis latera lituris flavis. *P.* dorſ. & caud. flavæ; reliquæ albeſcentes. Vitta longitudinalis lata, aurea ſupra medium corpus utrinque: & infra caudam velut duæ aliæ obſoletæ, flavæ. *Squamæ* margine membranaceæ; rivulis aliquot elatis. *Lin. lat.* ramuloſa, dorſo propior, continuata ad caudæ apicem: in cauda ſupra Lin. lat. macula parva nigra. De *cirrhis* ambigo: videbantur quaſi detonſi in tribus, quos mihi attulerunt piſcatores, quamvis illi aſſeverabant Mulli hanc formam eſſe conſtantem.

Djiddæ. Arab. *Ambir.* عنبر

Rad. B. 3. D. $\frac{7}{7}$. $\frac{1}{10}$. P. 17. V. 6. A. $\frac{2}{9}$. C. 15.

20. MUL-

20. MULLUS vittatus: *cirrhis geminis: corporis vittis utrinque duabus fuſcis, tribus flavis: pinna caudæ oblique fuſcata.* Upeneus vittatus Cuv.

Descr. *Corpus* lanceolatum, album. *Vittæ* longitudinales utrinque 2 fuſcæ ſupra lineam lateralem: in medio latere una fulva: inferius binæ ſulphureæ. *Maxillarum* margo, confertim dentatus. Apparet quaſi dentes hi parvi inſiti eſſent in utraque maxilla oſſibus binis, medio ſeparatis; ut in Tetraodonte. *Cirrhi* ſub ore 2, longitudine operculorum. *Linea lat.* ramuloſa unica, fere recta; dorſo propior. *Squamæ* tenuiſſime dentatæ; rivulis elevatis, obſoletis. *P. pectorales*, Vent. & Ani albidæ: dorſ. & caudæ albæ, lineis nigris, obliquis.

Djiddæ. Arab. *Abu dagn.* ابو دقن i. e. *barbatus.* Florente Dauco ſativo ludit.

Rad. B. 3. D. $\frac{7}{7}$. $\frac{1}{10}$.

SPARUS.

21. SPARUS niloticus ab *Haſſelquiſt* deſcriptus (it. Palæſt. p. 341.) eſt *Labrus Julis, Linn.* ut character indicat; & nomen Gallicum *Girelle* (Labro Juli proprium). Neque piſcis Niloticus eſt, Káhirinis & Nili accolis prorſus ignotus; & aquæ dulcis impatiens: raro caſu oblatus Haſſelquiſtio Káhiræ.

Spari Genus dentibus *inciſoriis* longis, acutis, contiguis: *molaribus* mediocribus, graniformibus: *interioribus* intra inciſores & molares numeroſis, graniformibus, plurium ſerierum: interioribus & poſterioribus ſenſim majoribus, totum palatum replentibus. *Opercula* ſquamata: anteriora angulo radiatim ſtriata: poſteriora pone ante membranam acuminata. *Foſſula* dorſalis in plurimis.

22. SPARUS sarba; *ovato-oblongus, argenteus: vittis obſoletis plurimis: linea aurea utrinque juxta pinnas ventrales flavas:* an *Salpa Linn.?* Sparus sarba Forsk. Chrysophrys sarba Cuv.

Descr. *Corpus* latum, ovatum: dorſum curvum, ſemicirculi inſtar: abdomen rectum. *Dentes* inciſores conici, contigui: molares hemiſphærici plurimi. *Vertex* nudus, politus, fuſcus, convexiuſculus. *P. dorſalis & ani* radii ſpinoſi in foſſula: reliqui baſi utrinque membrana erecta, communi, libera. Dorſalium ſpinæ tertia & quarta utrinque decreſcunt ſenſim. *Vittæ* corporis longitudinales, fuſceſcentes, obſoletæ; utrinque fere 17. quot ſeries longitud. ſquamarum: & oriuntur ex ſtriis convergentibus in medio ſquamarum. *Squamæ* latæ, integerrimæ. *P. dorſi* fuſca, baſi hyalina. *Cauda* recta, protenſa; pinna bifida, glauco-fuſca; parte inferiore flava. *P. ventrales* & ani flavæ. *Pect.* lanceo-

lanceolatæ, albidæ, ventralibus ſeſquilongiores. *L. lat.* dorſo propior, ſed minus curva, in cauda rectior, ultimo apice ſurgens. *Opercula* ſquamata integra.

Djiddæ. Arab. *Arid:* videtur idem eſſe cum Suénſium *Kofar,* كفر quod nomen non cuique Suénſium, longe minus piſcatoribus Djiddæ notum. Vocatur quoque *Sarba.* Loca habitat coenoſa, herbida & corallifera. Sapidus: hamo & rete capitur.

Rad. B. 6. D. $\frac{11}{25}$. P. 15. V. $\frac{1}{6}$. A. $\frac{2}{14}$. C. 17.

23. SPARUS spinifer; *ſpinis dorſalibus recumbentibus, mediis quinque filiformibus, longioribus.*

Sparus spinifer Forsk. = Pagrus spinifer Cuv.

Descr. Ovatus, compreſſus, ſeſquiſpithamalis, argenteo-rubens: dorſo obſcuriore & lineis corporis. *Caput* adeo declive *Labia* obtuſiſſima; inferius brevius: ſuperius protractile. *Dentes* inciſores utriusque maxillæ 4, conici, remoti, exteriores majores: molares numeroſi, concerti, hemiſphærici. *Opercula* ſquamata, integerrima. *Oculi* remoti: iride pone & ante argentea: ſupra & ſubtus aurea. *Vertex* convexus, nudus, punctatus. *Dorſum* pone caput declive; & ab ore ad caudam, ſemicirculare. *Abdomen* a gula ad pinnam ani rectum. *Foſſula* in pinna dorſi & ani pro recondendis radiis ſpinoſis. In *P. dorſi* ſpinæ duæ primæ breviſſimæ: ſequentes quinque radii, baſi ad tertiam partem compreſſi, & pone membrana alati & pallido-rubri: dein filiformes, rubri, inermes, ultra reliquos radios eminentes: cum recumbunt pertingentes ad baſin primam pinnæ dorſi; ordine breviores. Reliqui radii ſpinoſi, inermes, mediocres, ſubæquales. *P. caudæ* exciſa, pallida; margine poſtico rubra. *Spina* ani tertia apice longior ſecunda; quæ valida. *L. lat.* dorſo propior, curva, nec tamen dorſo parallela: in cauda rectior incedit juxta dimidium. *Squamæ* latæ, integerrimæ, ſtriis obſoletis, convergentibus. *Interſtitia* radiorum nonniſi in p. ani ſquamata. *Nares* utrinque duplices: poſterior oblongo-lanceolata; exterior rotunda, remotior.

Djiddæ. Arab. *Naddjar.* نجار Damiatæ vocatur *Qidjádj* قجاج vel *Didjadj el báhr.* loca inhabitat coenoſa, profunda 20 ſæpe orgyarum. Hamo capitur: æſtimatur ob ſaporem gratum: rariſſime ad littora venit.

Rad. B. 6. D. $\frac{2}{2}$–$\frac{5}{3}$. P. 16. V. $\frac{1}{6}$. A. $\frac{3}{12}$. C. 16.

24. SPARUS berda; *cinereo-albidus; ſquamis lateralibus ſingulis faſcia media, transverſa, fuſca: ſpinis dorſalibus recumbentibus.*

Sparus berda Forsk. = Chrysophrys berda Cuv.

Descr.

Descr. *Figura* corporis ovalis. *Dorſum* inter caput & pinnam valde gibbum; dein rectum ſub parte ſpinoſa pinnæ, demum declive ad caudam. *Abdomen* a capite ad P. A. rectum, dein valde ſurgens. *Color* cinereo-fuſcus. Squamæ laterales ſingulæ faſcia transverſa; media fuſca. Faſciæ dorſales obſoletæ. Venter albus. Pinnæ omnes fuſcæ; pectorales hyalinæ. *Squamæ* latæ, rotundatæ, integræ. *Dentes* inciſores utriusque maxillæ quatuor longiores conico-ſubulati, propinqui; interdum ad utrumque latus aucti dente minore. Molares numeroſi hemiſphærici; poſteriores, majores. *Labium ſup.* longius, protractile. *Nares* utrinque ſimplices; prope oculum magnæ, lineares. Ante ſingulas Cirrhulus conicus. *Oculi* ſine ſcuto: iride alba. *Vertex* nudus, convexus, declivis. *Opercula* ſquamata, integra, anteriora pone ſtriata. *Spinæ D.* a quarta ſenſim decreſcentes; verſus baſin alternatim latiores; ita ut, prima, baſi ſiniſtra latior ſit: ſecunda, dextra: tertia, ſiniſtra &c. *P. Pect.* lanceolatæ; pertingentes ad initium P. A. Pinnæ V. D. & A. pone rotundatæ. P. C. parum bifida, lobis obtuſis. *Spinæ A.* prima brevis, ſecunda valida, craſſior qvam tertia & apice longior. Omnes, ut & dorſales in foſſula recumbunt. Pars inermis P. D. & A. ſquamis erectis, ſupremis lanceolatis. *Cauda* baſi latior. *L. later.* dorſo propior, juxta caput a dorſo deflexa; dein parallela: in cauda recta ſupra medium.

Rad. B. 6. D. $\frac{12}{23}$. P. 14. V. $\frac{1}{6}$. A. $\frac{3}{13}$. C. 16. Longit. $\frac{1}{2}$. uln.

Arab. *Abu Baſal* ابو بصل i. e. *Cepa gaudens:* ita nominatus, ſine dubio, ob ſpinas dorſales anteriores baſi bulboſas. *Berda* quoque vocatur. *Mare rubrum* inhabitat, locis coenoſis; præſertim ad Inſulas littore veſtitas arbore dicta *Schöura* (nobis *Sceura:* novum Genus); cujus foliis, (deciduis forte) veſcitur. Frequens, ſapidus: hamo capitur.

25. SPARUS haffara.

Sparus haffara Forsk. = Chrysophrys haffara Cuv.

Descr. Facies Mormyri. Faſciæ transverſæ nullæ. Dorſum curvatum: abdomen rectum. Cauda bifida. *Corpus* oblongum; argentei coloris: lineis longitudinalibus obſoletis, fuſco-flaveſcentibus, utrinque 14. *Dentes* inciſores in utraque maxilla validi, remoti, obtuſi; in faucibus tubercula hemiſphærica multa.

Arab *Haffára.* Frequens, ſapidus; hamo & rete capitur; coenoſa inhabitat.

Rad. D. $\frac{11}{24}$. P. 15. V. $\frac{1}{6}$. A. $\frac{3}{13}$. C. 18. Long. 1. ſpith.

LABRUS.

26. LABRUS PERDICA; *cauda æquali; vertice glabro; dorſo recto; vittis utrinque dentatis, albido-flavicantibus.*

DESCR. *Dentes* medii maximi. *Caput* dimidio ſuperiore fuſcum; inferiore, albo-rufeſcens. *Opercula* anteriora pone prorſus obtecta cute: *poſteriora* inermia; exeuntia in angulum rotundatum, apice cæruleum. Ad baſin pinnarum pectoralium *Macula* cærulea. *P. D.* & *A.* rubicundæ. *P. V.* totæ liberæ. *Radii* pungentes: Dorſales, flexiles. *L. later.* continua; ſuperne ſerrato-dentata. *Vitta* alba, dentata per medium latus: alia ſuperior, obſoleta, dentata, obſcure-teſtacea: ſub illa, linea flava, lata. *Dorſum* rectum: abdomen curvatum.

Conſtantinop. Turc. *Keklik balük.* Græc. *Πέρδικα.*

RAD. D. $\frac{8}{21}$. P. 14. V. $\frac{1}{6}$. A. $\frac{3}{15}$. C. 14.

27. LABRUS INERMIS; *radiis pinnarum ſpinoſis nullis; corpore lineari, oblongo, virente; vitta laterali nigro-guttata.*

Cheilio inermis Rich.

DESCR. *Corpus* valde longum & pedale; tamen nonniſi 2 poll. latum. *Color* viridis. Per medium latus ſeries una longitudinalis guttarum nigrarum. Corporis color ſupra hanc vittam obſcurus; in dorſo fuſcus. Infra illam, color pallidus, maculis albidis. In capite & gula guttæ & lituræ violaceæ. *Squamæ* late ovatæ, integræ; circa caudam majores. *Labium* ſuperius longius, protractile. *Dentes* unica ſerie, ex ipſo margine maxillarum enati; verſus medium labium ſenſim majores; duo medii in ſingula maxilla reliquis validiores & incurvi; cæteri recti. *Opercula* integra; anteriora nuda; poſteriora ſquamata. *P.* omnes vireſcentes. *P. Pect.* ventralibus longiores, obtuſæ. *V* obtuſæ. *P. D* poſt baſin pect. incipit; pergit linearis; definit non procul a pinna caudæ, quæ rotundata. *Radii ſpinoſi* nulli in pinnis, ſed ſimplices, & verſus apicem molliores. Ramenta nulla. *L. later.* ſimplex, elata, continua; fere recta incipiens ad nucham; definens in apice caudæ.

Mochhæ. Arab. *Ghaſſek.* غسق

28. LABRUS RAMENTOSUS; *fuſco-vireſcens; ramentis ſpinarum dorſalium primarum, radio duplo longioribus.*

DESCR. Corpus lanceolatum. *Labia* æqualia; ſuperius protractile. *Dentes* unius ſeriei; maxillæ velut innati; parvi, recti, attenuati, contigui. In medio utriusque maxillæ, extra hunc ordinem dentium, ſunt *Inciſores* 4, remoti, reliquis dentibus quadruplo majores, ſubulati, incurvi; ex-

timi

timi majores, curvati. *Nares*, parvæ, remotæ. *Oculi* iride ſuperne & inferne fuſca; lateribus flava. Pupilla atra, oblonga, annulo marginali miniato. *Opercula anteriora* pone recta, valde dentata; *poſteriora* inermia; utraque ſquamata. *L. lateralis* elevata, continua, ſurſum ramuloſa, dorſo propinqua, parallela; ſub fine p. D. præceps deſcendens; recta per mediam caudam tranſiens. *Squamæ* magnæ, integræ, rotundatæ; 9 ordinum a ventre ad p. dorſi. Foſſula in dorſo nulla. *Ramenta* ſpinar. dorſ. longa, decreſcentia ordine a primo radio. In p. A. ramenta ſpinæ primæ & ſecundæ propendent, ita ut parte propendente æquent ſpinæ longitudinem. Spinæ tertiæ ramentum liberum non eſt; ſed margini membranæ inhæret. *Color* totius fuſco-vireſcens: pinnæ magis rubent, lituris violaceis. Sub oculis lituræ violaceæ & in vertice.

Mochhæ. *Rad.* B. 5. D. $\frac{9}{21}$. P. 13. V. $\frac{1}{6}$. A. $\frac{3}{13}$. C. 12.

28. b) *Varietas* forte erat Piſcis huic tota quidem ſtructura ſimillimus, ſed colore magis virente; ramentis ſpinarum brevibus, & radiis p. dorſi ſpinoſis 10.

29. LABRUS Öyena; *corpore argenteo; radiis dorſalibus* 2 -- 5 *ſubinermibus.* Diapterus oyena Rü

Descr. *Color* argenteus; pinnæ glaucæ; angulus dorſalis anterior, margine niger. *Dentes* numeroſi, breviſſimi. *Labia* æqualia; ſuperius admodum protractile; & ſponte prolabens. *Opercula* integra, anteriora ſquamulata. *Spina* dorſ. prima & ani prima perbrevis. Sp. D. 2, longior reliquis, latior vix pungens. 3, 4, 5 ſenſim decreſcentes: reliquæ rigidiores, decreſcentes. Spina ani tertia longior quam ſecunda. Ramenta exilia poſt ſpinas dorſ. *P. C.* bipartita, lobis lanceolatis. *L. later.* dorſo propior ac fere parallela; in cauda ſupra medium, & recta. *Dorſum* incurvum: *Abdomen* rectum. Corpus totum oblongum. *Venter* planus. *Nares* ovatæ, ſimplices. *Cauda* ſurgens. *P. D. & A.* membrana erecta, utrinque ſeptæ. *Squamæ* latæ, rotundatæ margine; in medio ſtriis elatis, convergentibus.

Sues & Djiddæ.

Rad. B. 6. D. $\frac{9}{19}$. P. 15. V. $\frac{1}{6}$. A. $\frac{3}{10}$. C. 16. Long. $\frac{5}{24}$. uln.

29. b) Huic maxime affinis *alius Vittis rubris, interruptis* Hic Ar. *Gaſa:* قاصة prior *Abu Öyena.* Ambo arenam littoream non ſolum frequentant, verum & territi, eam intrant, inque latus cubantes piſcatorias artes eludunt; periculo remoto, iterum proſiliunt.

30. LABRUS SCINA; *cauda integra; corpore vireſcente, nebulis albis flavisque; fovea inter oculos impreſſa; & ante foveam ſulco impreſſo.*

DESCR. *Dentes* medii maximi. *Iris* viridis. *Caput* & *Venter* ſubtus colore albo, rivulis flavis. *Opercula anteriora* pone truncata, ſerrulata; *poſteriora* oſſe inſtructa, pone ſinuato, inermi. *Dorſum* curvum. *Abdomen* a roſtro ad anum rectum; quæ peculiaris nota eſt; a Generica diſcedens. *L. later.* in latere interrupta: in cauda continuata. *P. Pectorales* flaveſcentes, immaculatæ; reliquæ, ut & dorſum, obſcure vireſcentes, maculis cæruleis. *Radii Dorſales* pungentes, vix flexiles.

RAD. D $\frac{18}{31}$ P. 14. V. $\frac{1}{6}$. A. $\frac{3}{15}$. C. 15.

CONSTANTINOPOLI. Turc. *Kichla balùk.* Gr. Σκίνα.

31. LABRUS LAPINA; *cauda integra; pinnis pectoralibus flavis; Ventralibus cæruleis; reliquis violaceis, maculis cæruleis.*

Crenilabrus pavo C.?

DESCR. *Corpus* ovali-oblongum. *Iris* cærulea; pupilla nigra, annulo rubro. Rivulus cæruleus ſub oculo verſus roſtrum. *Capitis* latera maculis rubris Vertex fuſcus, lævis *Latera* flavo-vireſcentia; dorſum fuſcum; abdomen albicans. *Lineæ* utrinque 3, ſingulæ duplici ordine macularum rubrarum: *prima* prope dorſum: 2 parallela Lineæ later. usque ad caudam; ubi hæc deſcendit ad lineam tertiam rubram, quæ tranſit per medium latus. *P. D & A.* baſi virides *Opercula br. anteriora* pone truncata, ſerrata; *poſteriora* pone emarginata; ante marginem ſine ſpinis. Ante nares *Gibbus* utrinque ovalis, obliquus: roſtrum non reflexum. Caudæ apex ſere circularis. Pulcher piſcis.

RAD. D. $\frac{15}{27}$ P. 15. V. $\frac{1}{6}$. A. $\frac{3}{15}$. C. 15.

CONSTANTINOPOLI. Turc. *Lapina.* Gr. Λαπῖνα. Arab. *Haſſun.*

32. LABRUS CHANUS; *cauda bifida; capite utrinque rivulis tribus cæruleſcentibus; quadrato cæruleo ſub oculo.*

DESCR. *Color:* dorſum fuſcum: venter albidus. Sub oculo rectangulum cæruleum. Sub linea lat. dimidium ſuperius fuſcum, linea alba; dimidium inferius album, linea gemina, lata, rufeſcente, & alia inferiore, ſordida. P. P V. A. flavæ; D. & C. maculis rubris adſperſæ *Maxilla* inferior longior. Inter oculos duæ Lineæ impreſſæ, longitudinales, pone divergentes *Opercula* branchiarum *anteriora* margine pone ſerrata; *poſteriora* pone tridentata, ante marginem. *L. later.* prope dorſum, ſurſum incurvata. *Cauda* leviter forficata.

RAD. D. $\frac{10}{25}$. P. 15. V $\frac{1}{6}$. A. $\frac{3}{10}$. C. 17.

CONSTANTINOPOLI. Turc. *Chani.* Gr. Χάνι.

33. LA-

33. LABRUS OCELLATUS; *vireſcens; ocello coccineo pone utrumque oculum.* Crenilabrus ocellatus Cu

DESCR. *Color* viridis; non lineatus. Rivuli cærulei per totum caput tranſeuntes. Pone oculos in operculo branch. macula obſcure-cærulea, oblonga, obliqua, cincta margine coccineo. Linea coccinea ſupra & infra hunc ocellum, qui auriculam mentitur. *Opercula br. anteriora*, pone truncata, ſerrulata; infra integra; *poſteriora*, pone inermia. *Cauda* poſt P. D. & A. linearis. *Linea lat.* a dorſo diſtat $\frac{1}{3}$ piſcis parte; ſub fine P. D. deſcendit: dein per mediam caudam. Dorſum fuſco-flaveſcens. Corpus ſub-ovatum.

RAD. D. $\frac{14}{24}$. P. 11. V. $\frac{1}{6}$. A. $\frac{3}{14}$. C. 15. *Smirnæ.*

34. LABRUS LUNULATUS; *fuſco-vireſcens, faſciis obſcurioribus, ſquamis ſingulis faſcia ferruginea, capite pectoreque rubro-guttato, lunula operculi pone fulva.* Cheilinus lunulatus K

DESCR. Cum *Scaro* (12.) adeo congruus. Huic *Oculi* iride fuſco-virenti. *Nares* non conſpicuæ. *Caput* compreſſiuſculum, fuſco-viride, guttis obſcure-rubris. *Opercula* ſquamis laxis, ſingulis gutta rubra verſus baſin. In margine operculi poſterioris in membrana, *lunula fulva* retroſpiciens, utrinque obtuſa, colore nigro cincta. *M. branch.* virens, pone juxta caput maculis duabus fulvis. *P. D. & A.* tota baſi ſquamis erectis utrinque ſeptæ. *P. A.* utrinque tribus ſquamis ovatis, maximis, liberis. *P. pect.* rotundatæ, flavæ: reliquæ virides; interſtitiis radiorum vel rubris vel rubro-maculatis. *Dorſum* parum curvum. *Abdomen* rectum. Inter *p. ventr.* membrana lanceolata, obtuſa, pinna dimidio brevior. *Squamæ* latæ, integræ, ſtriis excavatis, divergentibus, & verſus baſin linea transverſa obſcure-violacea. *L. lat. prior* incipit a lunula prope caput; terminatur ſub fine p. dorſi; dorſo parallela: *altera*, ante prioris finem incipit, tenditque recta per mediam caudam. *Cauda* rotunda. *Spinæ* ani gradatim longiores, craſſiores.

34. b) *Varietas* ſine lunula fulva: lineis circa oculos radiantibus, rubris, longis.

DJIDDÆ. Arab. *Abu djubbe* ابوجبه Aliis *Sænuat abu djubbe.* Inter corallia. Hamum non admordet, niſi Strombi carne obvolutum.

RAD. B. 5. D. $\frac{9}{20}$. P. 12. V. $\frac{1}{6}$ A. $\frac{3}{12}$. C. 13. Longit. $\frac{1}{2}$. uln.

OBS. Labri notæ generales cum Scaro ſæpe contiguæ, noſcuntur: DENTES *maxillares*, validi, conico-ſubulati, contigui. *Inciſores* mediocres, paulo interius poſiti, quam vicinus *caninus*: qui utrinque unus; reliquis duplo major. *Molares* una ſerie poſt caninum, acuti, contigui, retrorſum decreſcentes. *Den-*

tes faucium tantum in maxilla ſuperiori & utrinque brevis ſeriei; parvi, conici, acuti, rigidi, incipientes pone inciſorem utrinque: contigua ac maxillaribus parallela ſerie poſiti, utrinque quaterni. In inferiori maxilla nulli: niſi inciſores ipſos numeres. *Pinna br.* radiis 5. *Opercula* ſquamata, ſquamis laxis, latis. *Ramenta* evidentia poſt ſpinas dorſ. hærentia in margine membranæ. *Radii dorſ. & ani* ſpinoſi; membrana breviores. *P. D. & A.* baſi ſquamis erectis. *P. Caudæ* baſi ſquamis ovatis, majoribus utrinque. *L. lat.* ramuloſa duplex: aliis ſimplex, continua. Illa optima nota eſt, atque dorſi abdominiſque curvatura: iſta enim ſigna facile in oculos incidunt; dum faſtidioſi laboris eſt, incerti quoque eventus radios pinnarum minutiſſimos legere & relegere. Radii pungentes conſtantiores ſunt & majoris uſus in Syſtemate Piſcium.

PERCA.

35. PERCA LOPHAR; *argentea; dorſo dipterygio; pinnis ventralibus adnatis.*

DESCR. Magnitudo & facies Harengi. Dorſum & baſis pinnarum pect. fuſco vireſcentes. Inter oculos *ſulci* elati, longitudinales; media maxima. *Opercula anter.* latere, non pone ſerrata; poſteriora prorſus integra. *Radii* P. D. anterioris flexiles, vix pungentes. P. D. altera & P. A. baſi antice valde adipoſæ. *Cauda* bifida; apicibus radiorum nigricantibus. *P. V.* non liberæ; ſed membrana adfixæ carinæ abdominis, & ſic quoque inter ſe uniuntur. Hinc ad Gobium non bene accedit; qui P. V. in unam liberam planam connatas habet.

Rad. D. $\frac{7}{7}$, $\frac{1?}{27}$. P. $\frac{1?}{16}$. V. $\frac{1}{6}$. A. $\frac{1?}{26}$. C. 17.

CONSTANTINOPOLI. Gr. *Λοφάρι.* Turc. *Lofár balük.*

36. PERCA ROGAA; *nigro-rufeſcens; cauda æquali; pinnis nigris: branchioſtega & capitis lobis obtectis, obſcure-rubris.*

Epinephelus rogaa Cv.

DESCR. *Dentes* numeroſiſſimi, ſetacei, introrſum mobiles. Sæpe duo fortiores *inciſores* in antica parte conico-ſubulati, remoti. *Labia*, lata, obtuſiſſima: inferius longius: ſuperius protractile. *Nares* utrinque ſimplices, rotundæ, & ante ſingulam *Cirrhulus* conicus in cavitate. *Oculi* remotiuſculi. Iris extrorſum nigra: dein flava: interius cærulea. *Opercula* obeſa, ſquamata, integerrima: poſtica ante marginem membranæ tridentata. *Vertex* convexus, inter oculos declivis. *Scapulæ* gibbæ ad initium dorſi: dorſum vero & abdomen recta: pone curva. *Ramenta* brevia poſt ſpinas dorſales. *P.* omnes obtuſæ: caudæ, truncatæ: ventrales, rotundatæ: (quod rarum in hoc genere). D. A. C. pinnæ baſi carnoſæ; interſtitia radiorum ſquamata. *Cauda* ſurgens; apice latior. *L. lat.* vix notabilis: dorſo propior: ſub dorſo curva: in cauda recta. *Spinæ* ani ordine longiores; media robuſtior. *Color* totus nigro-rufeſcens:

ſcens: caput maxima parte atque M. branch. & palatum rubro-obſcura. Habitat inter Corallia ſaxoſa Mæandrites: frequens.

Djiddæ. Arab. *Rogáa.* رقع

Rad. B. 7. D. $\frac{9}{28}$. P. 18. V. $\frac{1}{6}$. A. $\frac{3}{13}$. C. 14. Long. 3. ſpith.

37. PERCA lunaria; *ferrugineo-nigra: pinnis pect. nigris, pone flavis: dorſali & caudæ pone hyalino-albis.*

Descr. Præcedenti perquam ſimilis, præter colorem & indolem pinnarum; quarum *pect.* ferrugineo-flavæ, baſi oblique nigræ. *Ventr.* non prorſus rotundatæ, ſed obverſe triangulares, nigræ, vitta obſcure-rubra juxta marginem exteriorem. *P. D. & A.* pars inermis vitta rubra prope exteriorem marginem: margo poſticus pinnæ dorſi, albus. *P. C.* pone lunula albo-hyalina: pinna truncata, & pone lunulam ruſeſcens. Putant piſcatores eam provectiore ætate Lunulam deponere.

Djiddæ. Arab. *Bint er robbân.* Lohajæ: *Schâhi.* شوحي

Rad. B. 7. D. $\frac{9}{28}$. P. 18. V. dextr. $\frac{1}{5}$. ſin. $\frac{1}{6}$. A. $\frac{3}{13}$. C. 14.

38. PERCA tauvina; *lineari-oblonga, fuſca; guttis ferrugineo-nigris in capite, & corpore: cauda rotundata.*

Descr. Solito oblongior verſus caudam & attenuata verſus caput. *Dentes* maxillares parvi, ſubulati, unius ſeriei, remoti, ſubæquales, rigidi. *Caninus* in utraque maxilla utrinque unus validior verſus medium labii. *Faucium* intra maxillares numeroſi, majores, ſetacei, introrſum mobiles: in medio labio lacunam verſus majores, denſiores. Dentes ſetacei, breves, multi ſupra baſin linguæ, *Labia* obtuſa: inferius longius: ſuperius retuſum, protractile. *Lacuna* vacua in ſuperiori maxilla. *Nares* utrinque duplices, remotæ, orbiculatæ: poſteriores duplo majores. *Vertex* ſquamatus, declivis, ut & gula; unde Caput cuneatum, ore in medio obliquo *Opercula* ſquamata: anteriora rotundata, pone denticulata, vix ſinuata verſus angulum ſubtus integerrima, membrana dependente. Poſteriora pone ante membranam triſpinoſa. *Pinnæ* colore & guttis ferrugineo-nigris, parum virentibus: margine poſtico rotundato-albeſcente *Pect.* & *V.* fere pari longitudine. *Spina A.* ſecunda craſſior, longior; ſed apice brevior tertia *Dorſum & Abd.* modice curva. *Cauda* furgens. *L. lat.* dorſo propior & parallela; in caudæ initio fracta & ſupra medium. *Guttæ* corporis magnæ, ſparſæ, ferrugineonigræ. *Squamæ* parvæ, denticulatæ.

Djiddæ.

Djiddæ. Arab. *Tauvina.* توينة inter corallia, rarior. Minus grati ſaporis.

Rad. B. 7. D. $\frac{11}{26}$. P. 17. V. $\frac{1}{6}$. A. $\frac{3}{12}$. C. 17. Long. $\frac{3}{4}$. uln.

39. PERCA fasciata: *rubra, faſciis transverſis, latis, albidis, ſub-quaternis.*

Epinephelus fasciatus Bl.

Descr. *Corpus* ſæpe ultra menſuram ulnæ excreſcit. *Color* ruber, maculis faſciisque latis, pallidioribus. *Caput* magnum, tertiæ partis corporis *Labia* rotundata, obtuſa, æqualia. *Dentes* ſetaceo-ſubulati; in inferiori maxilla unius ordinis; in ſuperiori multorum. In medio utriusque maxillæ *bini Dentes* conici, remoti, fortiores reliquis. *Oculi* magni, propinqui: iris ruſo-vireſcens: pupilla nigra, ovata. *Nares* utrinque binæ: vel forte anterior cirrhus nariformis. Inter Oculos *ſulci* duo longitudinales, pone juncti. *Opercula* anteriora obeſa, ſquamis minimis, pone leviter dentata: poſteriora pone in *acumen* deducta: ante quod, duæ *Spinæ*, ſuperiore majore. *P. Pect.* breviter pedicellatæ; foſſula pone ſub baſi *Cauda* integra. *Sp. dorſ.* rectiſſimæ, cum ramento brevi pone ad apicem. *P. A.* & *D.* pars inermis margine flavicans: pars armata pinnæ D. ad apicem ſingulæ ſpinæ triangulo nigro. *L. lat.* dorſo propior. *Squamæ* parvæ. *R. pect. A* & *D.* inermes, bifidi: *Ventr.* ramoſi. *P. pect.* membrana fere connexæ. *P. A.* radius ſecundus ſpinoſus, valde robuſtus.

In *Mari rubro* ad promontorium *Mohammed* hamo capta.

Rad. B. 7. D. $\frac{11}{28}$. P. 17. V. $\frac{1}{6}$. A. $\frac{3}{12}$. C. 17

Radiis branch. ſeptem accedit ad genus Percæ: ſed abit ramentis dorſalibus & operculis parum ſerratis?

40. PERCA louti; *oblongo-lanceolata: miniata: guttis pallide-violaceis: cauda biſalcata: pinnarum omnium margine poſtico flavo.*

Variola louti Bl.

Descr. *Color* miniato-ruber, guttis violaceis ſparſis. Abdomen pallidum, ſubtus immaculatum. *Squamæ* parvæ, ſtriatæ, rotundatæ, integræ. *Dentes* ſetacei, flexiles, denſi: quidam validiores, remoti, conico-ſubulati. *Labia* obtuſa: inferius longius: ſuperius protractile. *Nares* utrinque ſimplices, rotundæ: ante eas utrinque Cirrhus conicus in cavitate. *Oculi* iride miniata. *Opercula* obeſa, ſquamulata; *anteriora* integerrima; parum pone ſinuata pro lobo & operculo poſteriori: *poſteriora* pone, ſupra membranam & ante ejus marginem triſpinoſa. *Vertex* nudus, convexus. *L. lat* dorſo propior, non parallela: ſurgens in medio dorſo: indo deſcendens: in cauda ſubrecta: in apice

parum

parum recurva. *Cauda* ſurgens, linearis. *P D. A. & C.* baſi carnoſæ; interſtitiis radiorum ſquamatis; guttis pallide-violaceis conſperſæ; angulo poſtico acuminato, falcato. *P. pect.* ovatæ, rotundatæ: *Vent.* angulo falcato: utræque ſine guttis violaceis. Omnes pinnæ margine poſtico late flavo, in caudæ extremo flavedo terminata lunula. *Sp. ani* ordine majores & longiores.

DJIDDÆ. Arab. *Louti.* لوتي LOHAJÆ: *Schân.* nigrior Djiddenſi. Inter corallia profunde habitat. Hamo vel rete capitur. Longit. 1. uln.

RAD. B. 7. D. $\frac{9}{24}$. P. 17. V. $\frac{1}{6}$. A. $\frac{3}{12}$. C. 15. Quia ramenta poſt ſpinas dorſ. nulla; Chætodontem hanc Percam dixerim & propter dentes: ſed Branchioſtega multiradiata. Præcedenti (39) ſimilis.

41. PERCA MINIATA; *coccineo-rubra, guttis cæruleis undique adſperſa: cauda rotundata.* Epinephelus miniatus Bl.

DESCR. *Labia* latiſſima, obtuſa, cæruleo-guttata: inferius, longius: ſuperius, protractile. *Nares* ſimplices, rotundæ, & ante ſingulam Cirrhus conicus in cavitate. *Oculi* iride extrorſum rubra: interius flava. *Opercula* obeſa: *anteriora* integerrima; pone modice ſerrata pro ingrediente callo *poſteriorum*, quæ ante marginem membranæ triſpinoſa. *Vertici* ante oculos litera *V.* inſcripta. *L. lat.* ut in præcedente. *Dorſum* & abdomen recta; pone curvata. Poſt Spinas dorſ. *ramenta* brevia, libera. *Sp. ani* ſecunda, apice tertiæ æqualis; ſed validior & longior. *P.* omnes pone rotundatæ, præter *Ventrales*, quæ acutæ, margine antico cæruleæ, contiguæ. Baſis *P. D. A. C.* carnoſa, ſquamata. *Squamæ* parvæ, ſtriatæ, rotundatæ. *Dentes* ſetacei, flexiles: quibusdam caninis validis, conico-ſubulatis, in utraque maxilla binis.

DJIDDÆ. Arab. *Zarbûn.* زربون LOHAJÆ *Ataja.* عطايه vel *Burdi*; بردي

RAD. B. 7. D. $\frac{9}{24}$. P. 17. V. $\frac{1}{6}$. A. $\frac{3}{13}$. C. 15. Longit. $\frac{1}{2}$. uln. Inter Corallia verſatur. Fluctuat hæc inter Percam, & Chætodontem, cujus dentes gerit: a Labro ſpinam D. & radios Br. mutuatur.

41. b) *Varietas:* colore fuſco: ocellis cæruleis: P. A. margine poſtico alba, & P. D. partis inermis margine ſuperiore. Arab. *Bælâh:* vel *Abu belâh.* ابو بلاح Epinephelus guttatus Bl.

41. c) Exſtantior eſt varietas: *rubra, guttis cæruleis.* Arab. *Nadjil* vel *Nâgen.* Capta ad Promont. *Djymûm* ante *Jamboam.* Longit. 3. uln. frequens: ſapida: hamo, non rete capitur. Vivit inter Corallia profunda: veſcitur piſcibus.

Descr. In inferiori maxilla *Dentes* æquales: in ſuperiori verſus medium longiores & coacervati in duos faſciculos remotos. *Ocelli* vel guttæ cærulei, margine fuſco: per totum corpus perſperſi.

42. PERCA summana; *cauda rotundata: corpore cinereo-fuſco, guttis albis undique adſperſo.*

Epinephelus summana Bl.

Descr. *Dentes* ut in prioribus: *Labia, Nares, Opercula* præcedentis. Sub Oculo utroque macula oblonga, obliqua, nigra. *P.* omnes fuſcæ, guttis albis. *Caput* fuſcum, vix guttatum. Oculi iride fuſca. Nec foſſula, nec ramenta. *Cauda* brevis, parum ſurgens; ſupra macula nigra.

Rad. D. $\frac{11}{28}$. cæterum ſimillima (P. 40.) & (41.).

Arab. *Summân* vel *Symman.*

42. b) Ab hac parum diverſa *Varietas:* Fusco-guttata. Corpus cæruleſcens *Dentes* multi, ſetacei. Macula nigra in dorſo caudæ. Guttæ circulares fuſco-ferrugineæ. Caput, maxillæ & M. Br. pariter guttatæ. Oculi remotiuſculi. Vertex inter oculos planus, ſubcavus. Squamæ parvæ, vix dentatæ. Cauda altior.

Epinephelus fusco-guttatus Bl.

Rad. P. 18. C. 18.

Arab. Sueſens. *Kaſſjara.* Djiddæ *Koſchar.* An eadem cum Arab. *Keſjr* & Linn *Perca nilot?* Gr. Λάβραξ: quæ certius *Sciæna* eſt; quia pinna dorſi prima tota in foſſa reconditur: & radii Dorſ. $\frac{7}{7}$? Cauda linearis, aſcendens: pinna ani albida, apice fuſca.

42. c) PERCA areolata; *corpore cinereo, albido; guttis fuſco-flaveſcentibus.* A ſuperioribus varietate tantum diverſa. *Rad.* D. $\frac{11}{29}$. P. 18. C. 14. Cauda expanſa truncata: plicata, leviter exſecta. Pinnis caudæ, ſimilis varietati (P. 41. c.); vertice & operculis ſimilis (P. 40). Color albidus: guttæ in capite flaveſcentes, in pinnis fuſcæ; tam prope in pinnis, ut interſtitiorum color ambulacra albida inter areolas fuſcas repræſentet.

Epinephelus areolatus Bl.

Arab. *Daba.* ضبع Djiddæ.

43. PERCA lineata; *pinnis dorſi binis remotis: corpore argenteo, lineis nigris, longitudinalibus; macula caudæ aurea, medio nigra.*

Paramia lineata Bl. = Cheilodipterus arabicus Cv.

Descr.

Descr. *Corpus* oblongo-lanceolatum, truncatum. *Color* argenteo-nitens; lineis longitudinalibus per caput, dorſum & latera. Abdomen immaculatum. Lineæ hæ ab utroque latere 16 vel 17, interſtitiis argenteis duplo anguſtioribus. *Iris* oculorum flava, nitens. In caudæ extremo macula magna viridi-aurea, medio nigra. *Dentes* longi, ſubulati, recti, remoti, in utraque maxilla tres ab utroque latere, medio majori. Duo validiores in medio maxillæ inferioris, a ſe invicem remoti. In imo palato dentes multi, parvi, ſetacei. *Lingua* plana; apice latiore, orbiculato; edentula. *Labia* æqualia: ſuperius protractile. *Nares* utrinque duplices, longitudinales, ovales, æquales. *Opercula* ſquamata: anteriora valde obeſa; nonniſi angulo poſtico & ſubtus ſerrulata: poſteriora integerrima, mucrone nullo. *Vertex* planus: inter oculos carina in cute obtuſa, antice & poſtice bifurca: pone oculos carinæ oſſeæ tres. *Dorſum* ſubcurvum: abdomen rectum. *P. D.* prima ab altera remota, radiis gracilibus, ſubulatis. Sec. & tert. radius æquales, primo duplo longiores: reliqui ordine decreſcentes. P. D. anterior fuſca; reliquæ fuſco-flaveſcentes. P. D. & A triangulares. *Pect.* lanceolatæ. *Ventr.* ſubtriangulares: *P. Caudæ* leviter bifida, lobis acuminatis. *Spina* p. ani prima exigua: ſecunda ſextuplo longior filiformis: ſequens inermis, priori dimidio longior: reliqui ordine decreſcentes. *L. Lat.* dorſo propior, at non parallela. *Squamæ* laxæ, deciduæ: ſubtiliter denticulatæ, latæ: ordinibus longitudinalibus fere decem.

Rad. B. 7. D. $\frac{6}{8}$. $\frac{1}{11}$. P. 14. V. $\frac{1}{6}$. A. $\frac{2}{11}$. C. 17.

Djiddæ. Arab. *Djeſauvi.*

Ad Percarum genus retuli; quamvis opercula anteriora parum ſerrata ſubtus; poſteriora plane non. Dentes validi & pinna dorſi duplex ſine fovea; pro Perca militant. Mulli faciem non habet, nec Lin. lat. ramuloſa eſt.

❖ ❖ ❖

OBSERV.

Characteres Generum *Spari*, *Labri*, *Sciænæ*, *Percæ*, *Mulli* dati in Syſt. Nat *Linn.* ad ſpecies ſufficienter extricandas, haud ſufficere, conſtitit mihi demum, poſtquam in ditiſſimo piſcium exercitu ordinando, labores inveni & anxias deſcriptionum minutias deſudavi. Nec tamen ipſe adhuc conjectas ſchedulas in ordinem redegi; perpetua itinerum cura impeditus. Generalem ergo obſervationem inſerendam putavi: Nullos certos characteres dari, niſi *e Dentibus* ſumtos; qui pro animalium vario vitæ genere varii ſunt: ut Quadrupedia e ſigno hocce perquam manifeſto & conſtanti diſtribuuntur.

Opercula anteriora pone dentata in multis Labris æque ac in Percis. Spinas dorſales in foveam recondunt, non Sciænæ ſolæ; ſed multi Spari, Percæ, forte & Labri. Ramenta poſt Spinas Dorſ. Percis multis ſunt communia.

Squamis laxis adeo prope Mullo accedit Labrus; unde novum genus Scari deſumſi. Labrorum Maris Medit. dentes non ſufficienter inſpexi.

Perca dentibus gaudet maxillaribus ſubulatis, propinquis: poſterioribus ſenſim minoribus: interdum quidam dentes magni, conici, remoti. Intra dentes maxillares alii parvi, ſetacei, numeroſi. P. Branch. radii 5. 6. 7. vel 8. Opercula utraque ſquamata; anteriora pone, vel ſubtus dentata, quantumvis leviter: poſteriora ſæpe ante membranam pone ſpinoſa. Quædam ſpecies radios ſpinoſos dorſi & ani foſſula recondunt. Nonnullis ramenta parva poſt ſpinas dorſales.

Perca *dentibus* LOUTI. لوتي Dentes inciſores nulli. Canini in ſuperiori maxilla: interdum utrinque ſolitarius, validus, rigidus & pone illum ſeries unica dentium rigidorum, acutorum, exilium. Minores ſetacei, mobiles, numeroſi, conferti, verſus medium labii interiores majores: quoque poſt molares in maxilla ſuperiori. In maxilla inferiori Inciſores nulli: Canini utrinque duo, remotiſſimi, validi, ſubulati: dein Molares parvi, acuti, ſubulati, decreſcentes, unius ſeriei. Dentes ſetacei plurimi, conferti, mobiles usque ad caninum ſecundum: verſus medium labii interioris majores. Lacuna in medio maxillarum parva, dentibus vacua. P. Branch. oſſibus 7. Ramenta poſt ſpinas dorſales exigua. Foſſula dorſalis nulla. Opercula ſquamata: anteriora ſubtiliter dentata: poſteriora pone ante membranam triſpinata, vel biſpinoſa.

Perca *dentibus* DABA. Dentes maxillares laterales, incurvi: ſuperioris maxillæ majores quam palatini, ſeu interiores: inferioris vero maxillæ, minores palatinis. Inciſores pauci, remoti, conici; multo craſſiores reliquis. Palatini numeroſi, ſetiformes, incurvi, verſus medium labii numeroſiores: introrſum gradatim minores. In ipſo labii medio nulli; ibi enim lacuna vacua. Scutum circa oculos nullum. Foſſula nulla dorſalis. P. Branch. rad. 7. Opercula utraque ſquamata; anteriora pone dentata, poſteriora integra: ante membranam biſpinoſa. Scutellum ſupra pinnas pect. nullum.

Ut SCARUS innoteſcat ſyſtemate diſtinctiore; poteſt in tres ſubdiviſiones ordinari. A) *Sc. Dentibus Sidjan*; maxillis continuis: denticulis approximatis, filiformibus. B) *Dentibus Abu ajubbe:* maxillis continuis, dentatis: denticulis ſubulatis, remotis. C) *Dentibus Harid:* maxillis crenatis, medio fiſſis. Subdividuntur 1) maxillis pallidis vel rubentibus. 2) maxillis vireſcentibus.

SCIÆNA.

Vaſtiſſimum hoc Genus, commode poteſt in ſubdiviſiones abire. SCIÆNÆ OMNES IN FOSSULA SPINAS DORSI RECONDUNT. 1) ABU HAMRUR: hujus characterem vide in deſcriptione. 2) HOBAR. a) OMNES HÆ SCIÆNÆ MACULA GAUDENT NIGRA SUB JUNCTURA PINNARUM DORS. b) IMMACULATÆ. 3) FARER. a) branch. radiis 7. b) radiis 8. 4) GHANAN. 5) DJABUB. Dentes maxillares unius ſeriei majores, remoti, a medio decreſentes: palatini, numeroſi, ſetacei, minores, etiam pone maxillares poſticos; at copioſiores ad anticos: omnes tamen æquales. Opercula utraque ſquamata: anteriora ſubtus & pone dentata: poſteriora integra, ante membranam uniſpinoſa. Br. radiis 6. P. D. duæ, prioris radii omnes ſpinoſi. Scutum peculiare oſſeum, pone

pone dentatum; ſupra pinnas pect. Squamæ denticulatæ. 6.) Gaterin, operculis poſterioribus inermibus. 7) Schöur. 8) Tahhmel.

❖ ❖ ❖

44. SCIÆNA hamrur; *cupreo-rubra: pinnis obſcurioribus; capite undique ſquamato: ore ſubverticali: ſquamarum margine membranaceo.* Priacanthus hamrur

Descr. *Caput* & gula ſquamatum; *Os* fere verticale. *Labium* ſuperius protractile. *Dentes* maxillares parvi, rigidi, ſubulati, æquales, remoti: ſerie in ſuperioris maxillæ medio leviter deſcendente, & ſpatiolo vacuo dentibus: quod vero in maxilla inferiore eſt plenum. Dentes faucium unius ſeriei, paralleli maxillaribus ſuperioris maxillæ. Canini majores nulli. *Nares* utrinque duplices: propinquæ, obliquæ: poſteriores oblongæ: anteriores parvæ, ovatæ. *Opercula anteriora*, pone & ſubtus recta, ſerrata, angulo acuto. *Poſteriora* pone ante membranam acuminata. *Oculi* iride miniata; pupilla hyalina, nebula alba mixta. *Vertex* convexus, ſquamatus. *Dorſum* & *Abdomen* parum curva: corpus oblongum. *Squamæ* parvæ, cupreo-nitentes; margine membranaceæ, integræ. *L. lat.* juxta caput ſurgens: dein dorſo parallela: ſub fine pinnæ D. deſcendens; in cauda recta, media. *P. P.* pallide rubræ, dimidio breviores ventralibus. *Spinæ D.* ſubflexiles. *Spinæ ani* ordine longiores. *Cauda* recta, protenſa; apice latior, rotundata: pinna pone lunata. Interſtitia radiorum in nullis pinnis ſquamata.

Rad. B. 6. D. $\frac{10}{24}$. P. 18. V. $\frac{1}{6}$. A. $\frac{3}{19}$. C. 16.

Djiddæ. Arab. *Abu hamrûr.* Lohajæ *Hösrom.* حصرم

45. SCIÆNA fulviflamma; *pinnis dorſalibus connexis; flavicans, macula laterali nigra: vittis longitudinalibus aureis.* Lutjanus fulviflamma Kl.

Descr. *Color* albicans, vittis quinque vel ſex longitudinalibus aureis, vel fulvis; interdum obſoletis. *Macula* nigra, ſub limite pinnarum dorſ. *Dentes* validi, remoti, conico-ſubulati: inferioris maxillæ laterales majores: ſuperioris ſecundus, a medio utrinque major. *Iris* aurea. *Nares* binæ, ovatæ; *Opercula* anteriora, ſerrato-dentata; pone parum emarginata, pro ingrediente lobo poſterioris operculi. *Abdomen* rectum. *Dorſum* rotundatum. *L. lat.* dorſo propinqua parum curva; in cauda recta. *Pinnæ* flavæ; dorſalis anterior fuſca. Radiorum interſtitia in pinna caudæ ſquamata.

Rad. B. 7. D. $\frac{8}{8}$. $\frac{1}{15}$. P. 15. V. $\frac{1}{6}$. A. $\frac{3}{12}$. C. 15.

Arab. *Abu noqta:* ابو نقطة i. e. *macula inſignitus.* Aliis *Hâbar* vel *Hober.* حبر

46. SCIÆNA kasmira; *flaveſcens, vittis utrinque cæruleis quatuor majoribus.*

Lutjanus bengalensis Bl.

Descr. Hæc & (Sc. 47) *Conveniunt*: Labio inferiore breviore: dentibus conicis: ſinu operculi anterioris in medio pone, & angulo dentato: operculo poſtico inermi: linea laterali ſquamis ſtriata: numero radiorum pari. *Differunt*: Huic *Cauda* lunata. *Radius* ſpinoſus p. A. ſecundus major tertio. *Oculi* parum remoti, *iride* flava. *Color; vertex* albus, vittis parvis, obſoletis, cæruleis, utrinque ſeptem. Latera & dorſum flavida; vittis utrinque 4, cæruleis, margine undulatis. Vidi *Varietatem:* macula utrinque fuſca, magna, verſus caudam inter vittas medias.

Rad. B. 7. D. $\frac{10}{25}$. P. 16. V. $\frac{1}{6}$. A. $\frac{3}{12}$. C. 17.

Arab. *Kaſjmiri.* Aliis *Tyrki.*

47. SCIÆNA bohar; *rubens, lineis nebuliſve albidis.*

Lutjanus bohar Bl.-Schn.

Descr. *Corpus* oblongum. *Labium* inferius brevius. *Dentes* maxillæ ſuperioris duo ſubulati extra maxillam inferiorem prominentes: intra hos, duo alii breviores: laterales una ſerie. In inferiori, medii remoti: laterales tres utrinque minores: ultra, unus major; ultimus triplo major. *Cirrhi* 2 breves, ante nares. *Opercula ant.* pone, angulo dentato: medio ſinu; recipiente lobum oſſeum Operculi poſt. Opercula poſt. inermia. *L. lat.* dorſo propior: ſquamis ſtriatis. Squamæ corporis glabræ. *Spinæ* D. & A. in foſſula. Vivo piſce *maculæ* 2 magnæ ad dorſum; moriente exoleſcunt. *P. D. & A.* pone rotundatæ. *Cauda* bifida. P. ani radii ſpinoſi gradatim majores. *P. D. & A.* pars inermis ſquamata. *P. V.* membrana cuti adnexa.

Arab. *Bohár* vel *Bhár.* بهار *Rad.* numerus ut in priori.

Genus mihi ambiguum videtur: opercula non adeo dentata, ut Percæ: ramenta non ſunt Labri. P. Dorſ. procumbens Sciænam denotat.

48. SCIÆNA gibba; *rubens, albo-guttata, dorſo gibbo.*

Lutjanus gibbus Bl.

Descr. A præcedente parum differt. *Dorſum* valde gibbum, unde corpus ovatum. *Membr. Br.* radiis 6. P. D. & A. pone angulum rectum formant. *Dentes* ſuperiores medii contigui: Canini diſtant, & duplo majores reliquis. Lineæ albæ nullæ; ſed ſquamæ rubræ, apice albæ.

albæ. Cætera communia habent: figuram narium, cirrhos, lineam lat. operculorum, ſpinarum, caudæ, labiorum &c. indolem.

Arab. *Nagil.* *Naqil.* ناقل Aliis *Aſmûdi.* عصمودي

49. SCIÆNA NIGRA; *tota nigra, ventre fuſco-albeſcente.* Lutjanus niger Ble. " macolor Ble.

DESCR. Duobus prioribus adeo affinis; ſpina operculi poſt. ingrediente ſinum anterioris. *Dentes* maxillares, fixi, remoti, ſubulati, verſus medium majores: nulli autem pone molares inferiores. Lacuna dentibus vacua in medio utriusque maxillæ. Faucium dentes numeroſi, parvi, fixi, denſi. *Palatum* album, glabrum; branchiis rubris in ore ramoſis. *Labia* obtuſa; ſuperius protractile. *Nares* parvæ, utrinque duplices; poſteriores majores, ovatæ. *Iris* introrſum alba: extrorſum nigra. *Vertex* convexus, nudus. *Opercula ant.* ſub oculis ſquamata: pone recurva, dentata, ſinu profundo. *Gula* parte recondita alba. *Lin. lat.* dorſo propior & parallela. *Squamæ* integerrimæ. *Spina* P. A. ſecunda, triplo longior prima, ſed brevior tertia. *P. D.* apparet quaſi ex duabus connata: pone acuta. *P. C.* parum exciſa. *P. pect.* apice falcatæ: ventralibus ſeſquilongiores: baſi ſquamatæ. *Anus* poſt apicem ventralium. Rad. numerus ut in (Sc. 46.).

RAD. B 7. D. $\frac{10}{10}$. P. 16. V. $\frac{1}{6}$. A. $\frac{3}{12}$. C. 17.

DJIDDÆ. Arab. *Gatíe.* قتية

Cum *Sc.* (45) & ſequentibus easdem ingreditur notas *Varietas* genis & margine pinnæ A. rubentibus. Macula nigra lateralis, a Lin. lat. bifariam oblique ſecatur. Arab. *Keſjmire.*

50. SCIÆNA ARGENTIMACULATA; Arab. *Schâafen.* شعفن Lutjanus argentimaculatus

RAD. B. 7. D. $\frac{10}{24}$. P. 17. V. $\frac{1}{6}$. A. $\frac{3}{12}$. C. 18.

DESCR. *Labium* inferius longius. *Dentes* inferiores laterales ordine majores retrorſum. Infra illos Dentes ſetacei, in utraque maxilla multi. *Litura* ſub oculo verſus os decurrens curva, cærulea. *Opercula* ſquamata: poſteriora, angulum acutum pone formantia. *Spinæ Ani* longiores & majores gradatim. *Pinnæ* fuſco-rufeſcentes: *D.* glaucæ; margine rufeſcentes. Interſtitia radiorum ſquamoſa. *Squamæ* in dorſo nigricantes, margine & apice argenteæ; in abdomine rufeſcentes, margine pallidæ; unde color piſcis exſurgit fuſcus, argenteo-maculatus. Cæterum ſimilis adeo (Sc. 47.).

Fatendum eſt; Dentes animalium ſæpe caſu vel morbo lædi; aut monſtroſos naſci: fatemur quoque colorem corporis variare; magnitudinem de-

nique

nique raro conſtantem eſſe: pinnarum radios ſæpe deficere aliquot; unde ergo ſecuræ & univerſales petendæ notæ? Paucæ ſunt & erunt: dies deteget. Nos in prima via diffuſas, triſtes, nec tamen ſufficientes ſiſtimus deſcriptiones.

51. SCIÆNA RUBRA, ATAJA; Arab. *Ataja.* عطاجة

DESCR. *Corpus* obſcure-rubrum, vittis longitudinalibus utrinque 8 albo-rubentibus: juxta dorſum obſcure rubræ. Venter albus. *Vertex* ſpinulis retroverſis. *Dentes* ſetacei, breves, denſi. *Labium* ſuperius protractile: foſſula frontis duabus ſpinis incurvis. *Iris* rubra, nitens, pupilla atra. *Squamæ* ſpinuloſæ. *Lin. lat.* dorſo propior. *Cauda* aſcendens. *Operculum* anterius undique ſpinoſum; baſi ſpina fortiore. *Poſterius* ſpinis tribus pone. *Tertium* operculum parvum, ſpinoſum proxime ad branchias. *Annulus* oſſeus circa oculos ſerrato-ſpinoſus, antice bicornis. *P. D.* connexæ: prior albida, vittis 2 rubris, longitudinalibus, in foſſa recumbens. Altera brevior, baſi ſquamata. *P. A.* radii 2 ſpinoſi primi: parvi; tertius admodum craſſus, magnus. *P. C.* utroque latere radii 5 ſpinoſi; reliquis radiis breviores: pinna medio flavicans. *P. V.* margine exteriore albido, poſtico nigro.

Holocentrum rubrum Rüpp.

RAD. B. 8. D. $\frac{1}{1}$. $\frac{7}{7}$. P. 19. V. $\frac{1}{6}$. A. 14. C. 15.

52. SCIÆNA MURDJAN; *labiis retuſis.* Arab. *Murdjan.* مرجان

DESCR. Priori Atajæ ſimilis. *Corpus* ovato-oblongum: rubro æneum, nitens: dorſum obſcurum, abdomen pallidius. *Labium* ſuperius medio retuſum protractile e foſſula frontis triangulari: inferius longius, medio truncatum. *Dentes* minuti, multi, denſi. *Lingua* triangularis, rubens, ſcabra. *Nares* margine dentatæ. *Vertex* planus, lineis 4 elatis, pone ramoſo-frondoſis. *Iris* rubra. *Oculi* cincti annulo oſſeo, inferne lobato-denticulato. *Opercula* ſquamoſa, ſerrato-dentata: poſteriora pone uni-ſpinoſa. *Squamæ* latæ, dentatæ. *L. lat.* ſupra dimidium corporis, dorſo parallela. *Spina* ani tertia craſſa. *P. D.* prima, vix cum altera connexa, tota in foſſula recondenda. P. ſecunda, & P. A. ſquamis erectis ſepta. *Cauda* bifida. P. omnes rubræ: V. & C. margine exteriore albæ.

Myripristis murdjan Cuv.

RAD. B. 7. D. $\frac{10}{10}$. $\frac{1}{15}$. P. 15. V. $\frac{1}{8}$. A. $\frac{4}{12}$. C. 19. *Djiddæ.*

53. SCIÆNA SAMMARA; *dorſo rubro-ænea: lateribus argenteis: vittis undique obſcurioribus, punctis ocellatis.*

DESCR. A priori paucis his differt notis; *Corpus* lineari-lanceolatum. *Lingua* alba. *Opercula* anteriora ſpina forti; poſteriora pone binis ſpinis.

Holocentrum sammara Rüpp.

ſpinis. *Spina ani* tertia longior quarta, eamque ſinu poſtico recondit. *P. A.* hyalina: radio primo inermi, ultimo ſpinoſo: ambobus rubris. *P. C.* hyalina, ad utrumque marginem rubra: radiis ſpinoſis, ſupra ſex, infra 5. *Rad. branch.* octavus vix conſpicuus. *P. V.* albæ: *Pect.* rufeſcentes. *P. Dorſ. anterior*, in medio tres ſpinæ: ſinguli radii triangulo albo ſuperne, & baſi macula nivea. Poſterior hyalina, radio ſecundo & tertio rubro. *Color* corporis ſuperior rubro-æneus: latera & abdomen argentea. *Vittæ* & ſeries longitudinalis ſquamarum pares; utrinque decem. *Squamæ* laterales in medio macula plurimorum ocellulorum, albidorum, circulo nigro: his vittæ conſtant.

Rad. B. 8. C. 20. reliqui ut prioris. Dimidiæ ſpith. longit.

Djiddæ. Arab. *Farer.* Aliis *Hömri* vel *Abu mſammer.* Florente *Rhamno nabeca* verno tempore ludit. Hamo venatur profunditate 35 ad 37 Orgyarum, nec altius, neque demerſius.

54. SCIÆNA spinifera: *rubra; pinnis dorſalibus connexis: capite ſpinoſo, operculi anterioris ſpina longiſſima.* Holocentrum spini- ferum Rüpp.

Descr. *Dentes* maxillares denſi, ſetacei, plurium ordinum. *Iris* rubra. *Vertex* binis faſciculis linearum elevatarum pone oculos: inter eos lineæ duæ; ante, foſſula longa, profunda. *Oculi* annulo oſſeo, ſpinoſo. *Opercula anteriora* pone ſerrato-dentata: infra ſpina forti, alba. Poſteriora: antice ſquamata: pone, nuda, ſtriata, margine ſpinoſa: angulo ſuperiore ſcuto oſſeo, dentato. *Dorſum* regione colli gibbum; ſub pinna altera declive. *Cauda* linearis: pinna bifida. *P. A.* ſpina tertia longa, craſſa, ſinu poſtico recondens quartam. *Squamæ* latæ, margine dentatæ. *Color* argenteo-ruber: macula obſcuriore utrinque pone oculos & ad baſin P. pect.

Rad. numerus ut ſuperioris (Sc. 52). Long. ſpith. 3.

Djiddæ. Arab. *Gahaja* vel *Gehaja.* قهايا Aliis *Aſmud.* *Aculei* operculorum & pinnarum pungunt dolore ardenti, ut Scorpionis ictus; poſt aliquot horas ceſſat. Eadem vis etiam ſuperiori (Sc. 53) adſcribitur. Ambæ habitant inter Corallia Mæandr. Edules. Spinifera adeo pinguis, ut e majoribus ſæpe excoquatur ultra libram adipis.

55. SCIÆNA abu samf; ابو صنف cum prioribus forte eadem: aut tantum varietas. Maxime convenit cum *Murdjan.* *Dentes* inciſores, validi, conici: molares obtuſi. *Opercula* integra: poſteriora uno aculeo: anteriora, nuda. *Dorſum* virens, guttis albis.

Rad. B. 6. P. 13. V. $\frac{1}{6}$. A. $\frac{3}{12}$. C. 17. D. $\frac{10}{20}$?

56. SCIÆNA GHANAM; *albida, lateribus utrinque vitta gemina, alba.*

Scolopsis ghanam Cuv.

DESCR. Neque hæc multum diſtat ſimilitudine cum cæteris. Dentes, Squamæ, Cauda, & Opercula ut in Murdjan. Opercula poſt. ut Spiniferæ. *L. lat.* dorſo parallela, ſurgens a baſi Operculi poſter. Ei utrinque adjacet *Vitta* alba; ſub fine pinnæ D. ſecedens. *Alia* vitta a vertice ad finem P. D. *Guttæ* laterales obſcuræ; quincunciales. *Sp. ani* gradatim longiores.

DJIDDÆ. Arab. *Abu m'ſämmer.* ابو مزمر LOHAJÆ *Ghanam.* غنم

57. SCIÆNA JARBUA; Arab. DJIDDÆ *Djarbua.* SUES *Djabûb* جعبوب vel *Djabul* vel *Gabub.*

Therapon jarbua Rlr

DESCR. *Color* argenteus, vittis utrinque duabus, curvis, in dorſo confluentibus in annulum: ſub his utrinque linea fuſca, curva, in occipite & in media cauda coeuntes. Sub hac linea, alia flavida, obſoleta. In fronte faſciæ duæ nigræ & macula in medio dorſo. *Opercula* ut in Murdjan. *P. D.* maculis 2 nigris in prima: in altera tres. *P. C.* lineis quatuor fuſcis. *P. A. & Pect.* litura flava, longitudinali. *Iris* cærulea. *L. lat.* curvata ſupra medium corpus. *Dentes* ſubulati, ſimplices.

RAD. numerus ut in (*Sc. Samf.*)

58. SCIÆNA STRIDENS; Arab. *Korkor* vel *Gorgor* قرقر

Pristipoma stridens Rüpp.

DESCR. *L. lat.* curva, dorſo propior. *Color* cæruleo-argenteus: lineis longitudinalibus fuſcis utrinque tribus, ſæpè 4 vel 5. Reliqua ut in prioribus.

RAD. B. 6. D. $\frac{11}{11}$. $\frac{1}{15}$. P. 16. V. $\frac{1}{6}$. A. $\frac{3}{11}$. C. 16. Long. ſpith. Victitat herbis. Cum extrahitur aquis ſtridet ſono *Kr, Kr:* unde & ſortita nomen.

59. SCIÆNA GATERINA; *flavido-cæruleſcens, nigro-guttata, maculis ſparſis.*

Plectorhynchus gaterina Rlr

DESCR. *Labia* obtuſa, pinguia. *Lingua* alba. *Palatum* rubrum. *Opercula* ut *Sc. Murdjan:* ſed in eorum apice ſub labio inferiore utrinque *foramina* tria, ordine poſita. *P. Pect.* & *V.* flavæ, immaculatæ. Præterea forma corporis, Dentes, Nares, Cauda, L. lat., P. D., Sp. A., ſquamæ, vertex, ut congenerum. Abdomen immaculatum.

RAD. B. 7. D $\frac{13}{33}$ P. 17. V. $\frac{1}{6}$. A. $\frac{3}{11}$. C. 17. Long. 3. ſpith.

DJIDDÆ. Arab. *Gaterin.* قطرين Inter corallia in brevibus habitat. Inſipidi guſtus. Strombi carne ineſcata capitur.

59. b)

59. b) SCIÆNA ABU-MGATERIN; ابومغطرين *vittis fuſcis, utrinque quatuor, nigro guttatis, pinnis flavis.*

Plectorhynchus pictus Kl.

DESCR. *Vittæ* fuſcæ, longitudinales, maculis rotundis: ſitæ inter *P. D.* & *Pect.* Sub *P. P.* adhuc Vittæ utrinque duæ fuſcæ, ſine maculis. In medio dorſo anterius Vitta fuſca anguſta. Pinnæ ſparſim maculatæ. *Gula* & *Labia* flava. *Oculi* contigui, iride obſcura. *Spina A.* ſecunda longior tertia. Parva eſt; digiti longitudine. Ajebant piſcatores hanc eſſe pullum Gaterinæ, & creſcendo vittas deponere, aliumque macularum ordinem obtinere.

59. c) SCHOTAF شطاف vel SOFAT Arab. Perquam ſimillima Gaterinæ, quoad ſtaturam corporis; ſquamas dentatas, os intus rubrum; at huic eſt membrana marginalis operculi poſterioris rubra: in media maxilla dentes nulli. Labia, Nares, Opercula ut in Murdjan. Pinnæ nigricantes, totum corpus fuſcum. Edulis. Ulnæ longitudine.

Plectorhynchus schotaf Rüpp.

59. d) FÆTELA; فتلة Dentes, Labia, Nares, Oculi, Vertex, Cauda, Squamæ priorum. *Opercula* anteriora non ſinuata, ſubtus integra *Spina* A. ſecunda longior & craſſior tertia. *Color* fuſcus, venter albidus, immaculatus. Labri charact. fert; ramentis ſubtilibus poſt ſpinas Dorſ. Cæterum Dentium indole & radiorum numero Gaterinæ jungenda. Edulis, ſapida, pinguis; 3 uln. longitudine.

Plectorhynchus foetela Cv.

60. SCIÆNA ARGENTEA, NAGEB; *guttis nigris in corporis dimidio ſuperiori.*

Pristipoma argenteum Cv.

DESCR. *Dentes* multi, denſi, ſetacei, mobiles: ordo extimus major, incurvus. *Labium* & *Nares* ut in prioribus; harum, anteriores majores. *Opercula* ut congenerum: anteriora non ſinuata; angulo inferiore dentata, rotundata; ſubtus integra. *Iris* argentea; ſuperne fuſca. *Vertex* ſquamatus; lineis 2 elatis, inter nares. *Cauda* leviter bifida, ſurgens. *Spina A.* prima brevis: ſecunda longa, fortis. *P. D.* in unam connatæ, prior rotundata: altera linearis; nigro-guttatæ: *P. V.* & *A.* antice rufeſcentes, apice acuminatæ. *Interſtitia* radiorum in P. C. ſquamata baſi. *Radii* inermes: D & ani ſquamis ſepiuntur erectis, liberis. *L. lat.* ut Murdjan. *Squamæ* margine ſtriatæ & ciliatæ, ſubtiliſſime. Caput, abdomen & laterum dimidia pars inferior immaculata.

DJIDDÆ. Arab. *Nageb.* Aliis *Naqem.* ناقم

RAD. B. 7. D. $\frac{11}{11}$. $\frac{1}{16}$ P. 16. V. $\frac{1}{6}$. A. $\frac{3}{11}$. C. 16.

61. SCIÆNA NEBULOSA, HAMRUR; Ar. *Schúûr.* شعور Aliis *Bônkoſe.* بنكسة

Lethrinus nebulosus Cv

Nebulis longitudinalibus cæruleis & fuſco-flaveſcentibus. Ramenta poſt radios. Capitis declivitas recta. Cauda bifida.

RAD. D. $\frac{10}{20}$. P. 13. V. $\frac{1}{6}$. A. $\frac{3}{11}$. C. 17?

61. b) *Variat:* vittis longitudinalibus obſoletis violaceis; quarum una prope abdomen rubens, lata. Arab. *Abu hamrûr.*

62. SCIÆNA MAHSENA; *fuſca, lineata, faſciis transverſis nebuloſis, argenteis.* Arab. *Sjöûr mohſeni:* Aliis *Sööbi:* vel *Höſni:* *Mæhſeni.* محسني

Lethrinus mahsena Cv

DESCR. *Dentes* 18 in utraque maxilla, conici, validi: faucium ſetacei. Molares obtuſi, lati. Ante *Nares* cirrhi conici. *Vertex* lævis, declivis. *Dorſi* principium gibbum. Poſt Spinas Dorſ. *ramenta* ut Labri. Propter *Foſſulam* dorſ. ad Sciænas pertinet. A Perca recedit *Operculis* integerrimis; *anter.* nudis, non ſinuatis. *Poſteriora* ſunt ſquamata: pone angulo obtuſo, oſſeo. *P. A.* ſpinæ gradatim majores. Baſis P. A. & D. angulata. *Corpus* ovato-oblongum. *Squamæ* fuſcæ ramulis dentiformibus. *Faſciæ* argenteæ, immaculatæ. *Cauda* bifida. *Pinnæ* omnes rubro-violaceæ. *Radius* pect. ſecundus apice filum emittit.

RAD. B. 6. D. $\frac{10}{20}$. P. 13. V. $\frac{1}{6}$. A. $\frac{3}{12}$. C. 17?

Capta ad promontorium *Djimûm:* plena exuviis piſcium; inter quas *Echini* & *Haliotis tuberc.* adhuc dignoſcebantur.

63. SCIÆNA HARAK; *vireſcens, pinnis pallide rubris; macula utrinque nigra lineari infra lineam lateralem.*

Lethrinus harak Rüpp

DESCR. Priori ſimilis. *Dentes* inciſores 4 in utraque maxilla: laterales, retro obtuſi, lati, & demum hemiſphærici: unius ſeriei: pone inciſores, alii ſetacei, numeroſi. *Palatum* rubrum; membrana transverſa. Labia, Nares, Vertex, Cauda, L. lat. Spinæ, interſtitia rad. ut in præcedente. *Operculum* anterius, pone oculos ſquamatum; membrana integra, recta, rivulis elevatis. *Macula lateralis* nigra, linearis longitudinaris, colore fuſco cincta, figura rectanguli.

Num. Rad. idem cum præcedente. D. $\frac{10}{23}$? Arab. *Abu m'harrak.*

64. SCIÆNA RAMAK, OBSOLETA; *albido-vireſcens, lineis longitudinalibus obſoletis, violaceo-flaventibus; pinnis rubentibus.*

Lethrinus ramak Rüpp.

DESCR.

Descr. Palatum, Nares, Vertex, Labia, Opercula, Cauda, pinnæ acuminatæ; Lin. lat. Spinarum ani ordo ſurgens; ſquamarum forma omnia ut priorum. Differt colore. Dentes medii tantillum majores.

Rad. D. $\frac{10}{19}$. Arab. *Ramak.* رمك

64. b) Dib (Arab.) *lamina transverſa membranacea in utraque maxilla.* Dentes laterales acuti. Cæterum ſimillima priori: ſed major 2 ſpitham.

64. c) Nomine tantum notæ ſunt mihi ſequentes: SULI: DJARD: MORK: SAKA: KERSIT.

65. SCIÆNA grandoculis; *cærulefcens: labio inferiore gibbo.* Monotaxis grandoculis Bl. Sphaerodon grandoculis Rup.

Descr. Ad Sc. (62.) accedit. *Figura* ovato-oblonga. *Color* albidus, cæruleſcens, lineis obſoletis, pallidis. *Labia* carnoſa papillis rubris: inferius craſſum, gibbum. *Dentes* inciſores in utraque maxilla 6. Molares lati, plani, breves. *Nares* lineares, orbiculatæ. *Oculorum* interſtitium tuberculatum. *Pinnæ* violaſcentes: Pect. pallide-rubræ. *P. D. & A.* pone lobo: hæ gradatim increſcunt. *P. C.* bifida: interſtitiis ſquamoſis a baſi ad apicem; quæ in hoc genere non communis nota. *L. lat.* ut in cæteris. *Opercula* integra.

Djiddæ. Arab. *Abu æjn* ابوعين i. e. *grandibus oculis.* *Rad.* D. $\frac{10}{21}$.

66. SCIÆNA cinerascens, tahmel; *cinereo-vireſcens; lineis longitudinalibus flavis.* Pimelepterus tahmel, = altipinnis Cuv.

Descr. Labium, Nares, Vertex, L. lat. Sp. A. ut priorum. *Opercula* integra, ſquamoſa. *Corpus* ovato-oblongum. *Cauda* bifida, excifa; lobis obtuſis. *Squamæ* integræ, rhombeæ, albidæ, ad baſin, utrinque gutta ferrugineo-flava; unde *lineæ* longitudinales flavicantes per juncturas ſquamarum. *P. D. & A.* pars inermis elata, pone oblique truncata; angulo acuminato. *P. Pect.* margine exteriori albæ. *Dentes* filiformes, unius feriei.

Rad. B. 7. D. $\frac{11}{23}$. P. 18. V. $\frac{1}{6}$. A. $\frac{3}{14}$. C. 15?

Arab. *Tâhmel.* طحمل

67. SCIÆNA safgha; Arab. P. D. duplici $\frac{8}{9}$: immaculata. *Cauda* forficata. Oblonga, argentea: *Maxillæ* dentatæ; inferior, longior. *Opercula* tenuiter ſerrata. Ambassis Commersonii Cuv.?

68. SCIÆNA? armata, galemfish. Facies Scombri. *Cauda* bifida, fuſca, interno margine albido. *Pinnæ* albæ: *D. & A.* apice nigræ. *L. lat.* recta. *Corpus* ovato-acuminatum, compreſſum; colore argenteo. Inter P. D. & Caput *Spina* rigida, horizontalis, antrorſum prominens. Citula armata Bl.

G 3 SCOM-

SCOMBER.

69. SCOMBER LYSAN; *albido-maculatus; ſpinis dorſalibus ſeptem primis ſeparatis.*

comberoides lysan Blkr

DESCR. *Corpus* oblongo-lanceolatum: dorſum & abdomen pariter curvatum. *Color* argenteus; ſupra fuſco-cærulefcens. *Dentes* numeroſi, parvi, ſubulati. *Anus* poſt apicem P. V. *Squamæ* tantum apparentes, & in cute inſculptæ, minutæ, lanceolatæ, imbricatæ, puncto medio impreſſo. *Spinæ D.* ſeptem diſtinctæ: primæ duæ parvæ; reliquæ duplo majores, æquales, ſingulæ pone dorſo alligatæ membrana; inter ſe non connexæ: quæque propria foſſa recumbens; primæ duæ recte eriguntur reliquæ alternatim inclinatæ: tertia ad dextram, quarta ad ſiniſtram &c. Spinæ ante A. in propriam pinnulam connexæ: ſecunda dimidio longior. *P. D.* & *A.* poſteriores oppoſitæ: utriusque pars anterior elatior, triangularis: poſterior humilis, linearis: compoſita multis pinnulis ſpuriis, apice ſeparatis, baſi connatis membrana. *P. V.* & *A* albidæ. *L. lat.* non loricata: a capite ad P. A. initio undulato-curvata; duos ſinus majores faciens, ſub ſpina D. prima & quinta: dein recta procedit. *P. Pect.* hyalinæ, ovatæ. Circa Lin. lat. *maculæ* obſoletæ, fuſcæ.

RAD. B. 8. D. $\frac{7}{7}$. $\frac{1}{21}$. P. 17. V. $\frac{1}{6}$. A. $\frac{2}{2}$. $\frac{1}{19}$. C. - -

DJIDDÆ. Arab. *Myſſiœf.* Aliis. *Lyſan.* LOHAJÆ *Öbri.* عبري

OBS. Scombri Genus commode *ſubdivitur;* a) Scombri pinnulis ſpuriis diſtinctis. b) Sc. pinn. ſpuriis unitis. c) Sc. p. ſp. nullis; pinna biſpinoſa ante pinnam ani. d) Sc. pinnulis nullis; pinna biſp. ante P. A. vel occultata, vel nulla.

70. SCOMBER RIM, SPECIOSUS; *pallide aureus; faſciis verticis obliquis; corporis ſeptem nigris, alternis.*

nathanodon speciosus Blkr

DESCR. *Corpus* ovato-lanceolatum. Abdomen rectum; in regione P. A. curvum. *Dentes* nulli. *Labia* æqualia, obtuſa, ſuperius protractile. *Nares* utrinque binæ, contiguæ, ovales, transverſæ. Oculi iride argentea, antice aurea. *Vertex* convexus, nudus, glaber. *Opercula* triplicia, integra; anteriora ſquamata; poſtica nuda. *P. D.* prima, in foſſula: altera oppoſita P. A. & parte eminentiore triangulares ambæ, baſi membrana ſeptæ, parte ſuperiore lineari, nuda. *P. P.* falcatæ, longiores triplo ventralibus. *Cauda* teres. *P. C.* bifida, lobis lanceolatis. *L. lat.* dorſo propior: a capite ad faſciam quintam arcuata, inde recta: *carina* obtuſe elata; ſquamis dilatatis, poſtice mucronatis. *Squa-*

mæ

mæ parvæ, integræ, deciduæ. *Color* corporis velut argenteus aureusque mixtus; ventre pallido; dorſo fuſco. Pinnæ flavæ: dorſales glaucæ: *Faſciæ* verticis obliquæ, ſupra connatæ, retro ſpectantes: in operculo continuatæ parum. *Corporis faſciæ* nigræ, transverſæ, infra obſoletæ diverſæ latitudinis, alternantes. Adhuc Octava reſtat, verum adeo obſoleta.

DJIDDÆ. Arab. *Rîm.* ريم

RAD. B. 7. D. $\frac{6}{6}$. $\frac{1}{20}$. P. 21. V. 5. ſeu 6. A. $\frac{2}{2}$. $\frac{1?}{17}$. C. - -

71. SCOMBER FERDAU; *ovali-oblongus, argenteus, guttis aureis lateralibus; faſciis transverſis fuſcis quinque, obſoletis.* Citula ferdau Bl.

DESCR. *Color* argenteus; dorſo obſcuriore, cæruleſcente. Guttæ aureæ paucæ per latera. *Faſciæ* transverſæ, latæ, fuſcæ, utrinque quinque, a dorſo ad abdomen deſcendentes, obſoletæ, lanceolatæ, antrorſum curvatæ. *Squamæ* parvæ, deciduæ. *L. lat.* fere recta perpetua. *Dentes* ſetacei, multi. *Labium* ſuperius protractile. *Cirrhulus* conicus ante ſingulas nares. *Iris* alba *Vertex* nudus, glaber, linea media oſſea. *Opercula* integra, ſquamoſa. *P. P.* ſuperne falcatæ: albidæ. *P. D.* poſterior & *A.* membrana erecta utrinque ſeptæ: parte anteriore elata, triangulari-lanceolata; altera lineari P. V. breves, acuminatæ Inter pinnas D. *ſpina* ſolitaria, brevis: & duæ parvæ, ante P. A. *Cauda* carina utrinque valida, elata. *P. C.* angulo recto excisa, glauca: lobis lanceolatis.

DJIDDÆ. Arab. *Ferdau.*

RAD. B. 7. D. $\frac{6}{6}$. $\frac{1}{1}$. $\frac{1}{29}$. P. 21. V. $\frac{1}{6}$. A. $\frac{2}{2}$. $\frac{1}{24}$. C. 16?

71. b) BAJAD; *Varietas. Opercula* anteriora obeſa. *Spinæ* ante P. A. ſub cute reconditæ. *L. lat.* e regione P. D ſecundæ elevatur in carinam loricatam æqualem *P. P.* hyalinæ, reliquæ glaucæ. Vocatur quoque *Abu ſænſun:* vel *Hælj.* Citula bajad Bl.

72. SCOMBER IGNOBILIS, KIRM; *argenteus; dorſo cæruleſcente: pinnis pectoralibus & ventralibus ruſeſcentibus.*

DESCR. *Dentes* utriusque maxillæ unius ordinis, breves, ſubulati. Infra dentes ſuperioris maxillæ, alii minores, ſetacei, numeroſi. *Squamæ* parvæ, deciduæ. *P. D.* glaucæ; prior triangularis. *P. A.* parte elatiore ſubtus flava, cætera hyalina. *Spinæ* ante P. A in pinnulam connexæ; poſterior duplo major. *P. C.* lobus ſuperior glaucus: inferior flavus.

flavus. *L. lat.* a capite ad P. A. curva & undulata: inde recta, loricata. *Carinæ* laterales caudæ, elatæ; inter eas evaneſcente linea lat.

RAD. B. 8. D. $\frac{7}{7}$. $\frac{1}{1}$. $\frac{1}{20}$. P. $\frac{1}{21}$. V. $\frac{1}{6}$. A. $\frac{2}{2}$. $\frac{1}{17}$. C. 18?

DJIDDÆ. Arab. *Kirm.* Aliis *Djarm* vel *Girb.* قرب

LOHAJÆ parvi vocantur *Kórab;* majores *Djim.*

73. SCOMBER FULVO-GUTTATUS; ſimillimus (S. 71.) *guttis* aureis per latera frequentibus, orbiculatis, inordinatis; cæterum glauco-cæruleus, nitens. *Iris* aurea. *Vertex* ante oculos cavus. *Labia, Dentes, Nares, Opercula* ut congeneris. A capite ad P. D. membrana polita, nuda, glauca. *L. lat.* primum arcuata, inde recta; in media cauda elevata in carinam. *P. D.* prima tota in foſſula recondenda: quæ *ſpinulam* quoque recondit. P. D. & A. ut in congenere: ut & *P. P.* *Pinnula* ante P. A. diviſa in duos radios breves, membrana connexos, in foſſula recond. *P. V.* approximatæ; in cavitate lata recond. *Cauda* teres; utrinque *carina* elata, acuta, ad baſin P. C. latiore carinis lateralibus. *P. C.* angulo obtuſo, longe bifida.

…tula fulvoguttata Bl…

RAD. B. 7. D. $\frac{7}{7}$. $\frac{1}{1}$. $\frac{1}{28}$. P. $\frac{1}{21}$. V. $\frac{1}{6}$. A. $\frac{2}{2}$. $\frac{1}{25}$. C. 19?

Arab. *Gæzz.* قزّ

74. SCOMBER SANSUN; *argenteo-nitens, immaculatus; caudæ carina elata, æquali.*

DESCR. Affinis præcedenti. *Dentes* inferiores unius ſeriei, medii majores. Superiores una ſerie ſubulati, majores; pone dentes ſetacei, numeroſi. *Carina C.* media valida, recta. P. V. & P. albæ: reliquæ fuſcæ: *P. D.* margine ſuperiori nigra. *P. A.* & *C.* margine inferiore flavæ. *Vertex* venis ramoſis.

Carangus sansun Bl…

RAD. numerus ut prioris, ſed D. $\frac{1}{22}$. A. $\frac{1}{16}$. C. 18?

Arab. *Abu ſænſun.* *Abu læjla.* ابو ليلة *Baghe.* *Dheirak.*

LOHAJÆ. *Bockas.*

75. SCOMBER DJEDABA; *albus, lateribus & caudæ pinna flavis.*

DESCR. *Dentes* utriusque maxillæ unius ſeriei, parvi, ſubulati. *Corpus* lanceolatum: a capite ad P. A. modice curvum; inde abdomen magis curvatum. *P. D.* prima triangularis, æquilatera. *P. C.* flava: lobi ſuperioris margo poſticus flavus. *Spinæ* duæ ante P. A. connexæ in pinnulam peculiarem: poſterior duplo longior. *Squamæ* perſiſtentes.

Caranx djeddaba Rüpp.

Carinæ

Carinæ nullæ in cauda. *L. lat.* a capite ad P. D. ſecundam arcuata circulariter: inde recta & elevata in carinam loricatam.

RAD. B. 8. D. $\frac{8}{8}$. $\frac{1}{25}$. P. 22. V. $\frac{0}{5}$. ſ. $\frac{0}{6}$ A. $\frac{2}{2}$. $\frac{1?}{20}$. C. 17.

Arab. LOHAJ. *Sufnok.* سفنق DJIDD. *Djedaba.* جدبه SUES *Bajad.*

OBS. Diverſa tot nomina, quæ piſcibus adſcribimus, an totidem ſpecies vel varietates deſignent, vel ſint-ne diverſarum regionum denominationes ejusdem ſubjecti neſcio? Nihil enim licentius eſſe poteſt artificio Nomenclaturæ, dum ex genio rerum non hauritur, ſed fortuito vocabulorum conflatu formatur. Quos toties DJIDDÆ Piſces adſcribimus, MARI RUBRO univerſo ſunt communes: verum ex hac urbe, ceu *Muſeo Ichthyologico* noſtros emittimus labores.

76. SCOMBER FALCATUS; *rhomboidalis; pinna ſecunda dorſi & ani falcata.*

DESCR. *Corpus* glabrum: trapezi-forme; tribus lateribus rectis: primum a capite ad P. A.: ſecundum & tertium æqualia, breviora, a P. A. ſecunda ad caudam: quartum a capite ad P. D. ſecundam curvatum parum. *Color* argenteus: dimidium ſuperius magis fuſcum. Piſcis ſeſquilongior quam latior. *Frons* perpendicularis, flaveſcens: faciem leoninam efficit. *Labia* obtuſa, æqualia, ſuperius protractile. *Nares* utrinque duplices, transverſæ, propinquæ, oblongæ: poſteriores majores. *Maxilla* ſuperior glabra; inferior aſpera; dentes nulli. *Opercula* nuda, integra. *L. lat.* dorſo propior usque ad P. D.; inde medium ſecat corpus; ſemper parum undulata. *Squamæ* tenues, invicem & cuti adnatæ, quæ nuda apparet: apicibus elatæ; ſcabritie digitum antrorſum motum, offendentes. *P. P.* ovatæ, obtuſæ, fuſcæ. *P. V.* his longiores; pone oblique truncatæ: extrorſum fulvæ, introrſum albidæ. *P. D* ſecunda & P. A. oppoſitæ: pars anterior utriusque elevata in apicem lanceolato-falcatum; ad apicem caudæ pertingentem: pars poſterior humilis, linearis: membrana baſeos nulla. Pars illa dorſalis fuſca, ani introrſum fulva: pars hæc albido-hyalina. *P. C.* glauca; antrorſum fuſca; margine poſtico flava: bifida plus dimidio, lobis lanceolatis, ſuperiore longiore. *Spina* ſub cute in medio dorſo a capite ad P. D. Ante eas *Spina* horizontalis antrorſum verſa, valida, interdum ſub cute recondita. Inde *Spinæ* breves, ordine majores, membrana connexæ; prima ſæpe recondita, reliquæ quinque manifeſtæ: ſingulis ſua foſſula. Eadem indoles *Spinarum* 2 ante P. A.

DJIDDÆ. Arab. *Högel.* هقل LOHAJÆ *Dejmal.* ضيمال.

RAD. B. 7. D. $\frac{5}{5}$. $\frac{1}{20}$. P. 18. V. $\frac{0}{6}$. A. $\frac{2}{2}$. $\frac{1}{18}$. C. 16.

77. SCOMBER equula; *pinnulis pinnaque dorſi connatis.*

Leiognathus caballus Bl.
Equula caballa Cuv.

Descr. *Corpus* ovatum, compreſſum: 5 poll. long. 3 poll. latum: argenteo-nitens: læve, ſquamis ſubtiliſſimis. *Dentes* ſetacei. *Labium* ſuperius protractile: inferius curvum, retuſum. *Frons* carinis oſſeis 2, elatis, antrorſum convergentibus. *Vertex; carinis* tribus inter oculos, media obtuſa, & mobili ſimul cum labio: inter caput & P. D. formantibus callum lanceolatum. *Opercula* M. Br. adnata: anteriora ſubtus ſerrata. *Iris* argentea. *Spinæ* duæ retroverſæ, ſupra oculorum angulum. *Spina* D. & A. ſecunda, magna. *P. D. & A.* ad Caudam usque. *P. V.* latere ſuperiore appendice membranacea, lanceolata. Ante pinnas *Callus* oſſeus, cavus, linearis: ante illum *Gibbus* oſſeus, acutus. *L. lat.* dorſo propior: primum recta: inde ſurgens: verſus caudam deſcendens. *P. C.* biloba, lobis obtuſis.

Rad. B. 4. D. $\frac{8}{25}$. P. 18. V. $\frac{1}{6}$. A. $\frac{3}{18}$. C. 17.

Arab. *Abu kurſe.* ابو كرسه i. e. *ſella præditus.*

77. b) Djiddæ *Melliet*: Lohajæ *Berbîs*; بربيس A priore differt: *Magnitudine*; vix digiti long. *corpore* duplo longiore, quam lato, & lanceolata figura. *L. lat.* definit cum P. D. *Lobi* P. C. acuti. P. omnes glaucæ, margine flavæ; præter Pect. *Labium* ſuperius multum prolabens. Cætera ſigna eadem.

Leiognathus oblongus Bl.

Rad. B. 4. D. $\frac{8}{24}$. P. 16. V. $\frac{1}{6}$. A. $\frac{3}{18}$. C. 16.

78. SCOMBER rhombeus: *pinnis ventralibus uni-radiatis.*

argenteus Bl. / Monodactylus rhombeus C.

Descr. *Corpus* compreſſum, argenteum: una cum P. D. & A. menſuratum, rhombeum. *Dentes* numeroſi, ſubtiles. *Lingua* obtuſa; prope apicem ſuperne *callo* ovali, plano, albido, ſcabro. *Labia*, *Nares*, *Opercula*, ut congenerum. *Iris* argentea, ſupra & infra fuſca. Ante P. D. *Spinæ* 5, minutæ, vix connexæ. Juxta P. V. *ſpinæ* duæ, albæ, parvæ: & pone ſingulam radii inermes minores 5, vix conſpicui. *P. D. & A.* prima pars alba, triangularis, ſquamata, apice nigra: reliqua pars humilis, hyalina, linearis. *P. P.* leviter rotundatæ. *Cauda* brevis, lateribus compreſſa, non carinata. *P. C.* glauca, rotundato-exſecta. *L. lat.* dorſo propior, parallela: in cauda recta, media. *Squamæ* parvæ.

Djiddæ. Arab. *Abu gurr* ابو قر vel *Abu tabak.* ابو طبك

Rad. B. 6. P. $\frac{1}{15}$. D. $\frac{4}{4}$. $\frac{3}{32}$ V. $\frac{1}{1}$. A. $\frac{3}{34}$. C. 16.

CHÆ.

CHÆTODON.

OBSERV.

Genus hoc *ſubdiviſionem* admittit: a) Chætodon: dentibus filiformibus, brevibus, numeroſis, multorum ordinum, denſis, acutis, interioribus ſenſim minoribus. P. Br. radiis 6. Spinæ P. A. 3. b) Abu-defduf: dentibus maxillaribus unius ſeriei, filiformibus, contiguis, ſubmobilibus, obtuſis: dentibus faucium nullis: annulo ſubtus circa oculos. P. Br. rad. 5. Spinæ P. A. 2. c) Acanthurus: dentibus unius ſeriei, rigidis, acutis, contiguis, vel ſimplicibus vel lobatis. Cauda in utroque latere aculeo uno vel pluribus; exſerto & rigido; vel mobili & recondendo. Diverſum prorſus a Chætodonte Genus; aliquando propriam conſtituens familiam.

79. CHÆTODON orbicularis; *cinereo-fuſcus; ſubrotundus; ſpinis dorſalibus nullis.* Arab. major *Kanaf:* parvus *Dakar.* Platax orbicularis

Descr. Figura ſingularis; procul *Pleuronectem* ſimulans. Long. pedalis. Corpus ſine cauda & pinnis ſpectatum eſt orbiculare: ſubtus rectum. *Color* cinereo-fuſcus: venter albidus; pone flavicans. Puncta nigra ſparſa per medium corpus, verſus caudam & dorſum. *Dentes* numeroſi, mobiles: exterior ordo filiformis, apice tridentatus: reliqui ſetacei; apice ſubulati. *Labia* obtuſa, æqualia: ſuperius, lateribus ſecedens. *Nares* utrinque duplices; remotæ: poſteriores lineares: anteriores rotundæ. *Iris* flava. *Frons* declivis perpendiculariter. *Opercula*, integra, ſquamata. *Dorſum* compreſſum: ejusdem declivitatis ac caput; inde parum rotundatur: ſub P. D. altiſſimum, dein deſcendit ad caudam. *Gula* appreſſa. *Abdomen* craſſum: ad P. A. rectum: inde ſurgit & comprimitur ad caudam. *Cauda* latior quam longior: recte protenſa. *Squamæ* rotundatæ, integræ. *L. lat.* dorſo propior, non prorſus parallela: in cauda recta, media. *Radii br.* quatuor manifeſti. *P. Ventr.* ovatæ, obtuſæ, flavidæ introrſum, extrorſum fuſco-virentes: perlucentes. *P. Pect.* ovato-lanceolatæ; fuſco-flavidæ. Ante *P. D. & A.* quaſi rudimenta radiorum ſpinoſorum ſub cute. Margo anterior utriusque pinnæ ſequitur directionem corporis antejacentis: dein rotundatur, anguſtior verſus caudam. Utraque Pinna craſſa, carnoſa, ſquamata. *P. C.* pellucidior, craſſa, ſquamata, exciſa leviter.

Rad. B. 6. D. $\frac{3}{36}$. P. 16. V. $\frac{1}{6}$. A. $\frac{0}{26}$. C. 16.

Djiddæ: frequens in ſaxoſis.

80. CHÆTODON fasciatus; *flavus; faſcia oculari nigra: ſupra nucham, alba: per latera, ferrugineo-fuſca.* Chaetodon fasciatus

Descr. *Corpus* long 3. poll lat. 2½. p *Caput* conico-obtuſum. *Labium* ſuperius protractile. *Dentes* flexiles, filiformes, numeroſi. *Squa-*

 mæ

mæ rotundatæ, imbricatæ. *Ramenta* valida poſt ſpinas dorſales & ani. *Spinæ* D. & A. in foſſula recondendæ. *Faſcia* nigra per oculos, ſupra juncta. Pone illam, brevior *alba*, lata magis infra. *Dorſi* initium flavum: reliqua ejus pars intra L. lat. nigra. *Faſciæ laterales* ferrugineo-fuſcæ, utrinque octo; retrorſum ſurgentes oblique. *Vitta* fulva ambit baſin *P. D.* dein nigra: poſtea ferrgineo-flava: margo flavus, terminatus linea ferrugineo-fuſca. *P. A.* ferrugineo-flava. *P. C.* truncata, flavicans, faſcia media fuſca; margine poſtico albo; intra faſcia ferruginea & linea flava transverſa. *P. V.* flavæ, *P.* glaucæ.

RAD. B. 6. D. $\frac{12}{36}$. P. 16. V. $\frac{1}{6}$. A. $\frac{3}{22}$. C. 16.

DJIDDÆ. Arab. *Tábak el kûs.*

81. CHÆTODON AURIGA; *albidus, oblique faſciatus; radio pinnæ dorſalis quinto in filum productо.*

Chaetodon auriga Forsk.

DESCR. *Corpus* 5 poll long. 3 p. lat. compreſſum, fere rhomboidale. *Os* conico-compreſſum, prominens. *Labia* rotundata, æqualia. *Dentes* plurimarum ſerierum. *Vertex* planus, ſquamatus, albo-rufeſcens, faſciis transverſis fulvis, quatuor. *Caput* faſcia laterali nigra, per oculos ad gulam transeunte *Iris* nigra. *Dorſi* initium altum, inde rectum: abdomen pari figura. *Color* albido-cæruleus; faſciis obliquis fuſcis, parallelis: primæ ſex dorſales antrorſum deſcendunt: reliquæ denæ perpendiculariter retrorſum: pone totum corpus & cauda fulva. Margo poſticus *P. D.* niger. *P. A.* lineis; nigra, alba, denique pallide-flava marginali. *P. C.* truncata, fulva: margine albo; luna flava retro-verſa. *Filum* horizontale e radio inermi quinto ortum; & dimidio longius P. C. *Ramenta* valida poſt Sp. D. & A. *L. lat.* curvata. *Squamæ* rhomboidales.

RAD. B. 6. D. $\frac{13}{37}$. P. 16. V. $\frac{1}{6}$. A. $\frac{3}{24}$. C. 17.

DJIDDÆ. Arab. LOHAJÆ *Mokti.* مقطي Vocatur & *Tabak el kuſſ* & *Schaûſch.*

82. CHÆTODON TEIRA; *corpore rhombeo, fuſceſcente; faſcia transverſa duplici obſcuriori: pinnis ventralibus, ani & caudæ falcatis, corpore longioribus.*

Platax teira Cv

DESCR. *Corpus* ſine pinnis rhombeo-ſubrotundum, compreſſum, fuſcum: faſciis transverſis obſcuris tribus: prima per oculos: ſecunda, regione P. P. tertia per caudæ baſin. Truncus ab ore ad P. D. valde præceps. *Opercula* ſquamata. *Nares* utrinque duæ: anterior orbiculata; poſterior oblonga, duplo grandior, ſed anguſta. *Squamæ* parvæ, dentatæ. *L. lat.* surſum curvata; dorſo propior. *Dentes* numeroſi, mobiles: exterior ordo

ordo dentibus tridentatis: interiores fere demerſi in gingivis: ſuperiores magis evidentes. *Iris* extus fuſca; intus argentea. *P. C.* truncata. *P. P.* & caudæ albæ, baſi nigræ. *P. D.* & *A.* nigricantes, elongatæ, falcatæ: primus radius inermis, longus; reliqui decreſcentes. P. D. corpore duplo longior: A. brevior. *Spina* P. D. & A. poſtrema triplo longior antecedenti.

RAD. B. 5. D. $\frac{5}{35}$. P. 17. V. $\frac{1}{6}$. A. $\frac{3}{26}$. C. 17. Long. 1. uln.

LOHAJÆ. Arab. parvi *Teyra.* طيرة Magni *Dáakar.* دعكر

83. CHÆTODON MESOLEUCOS; *parte anteriore albus, poſteriore fuſcus, faſciis nigris.* Chaetodon mesoleucos Forsk.

DESCR. *Truncus* ovatus, compreſſus. *Caput* conicum, anguſtum. *Labia* & *Dentes* ut congenerum. *Squamæ* ciliatæ, rhombeæ, magnæ; 14 occupantes ſeriem lateralem ab imo ad ſummum. *L. Lat.* curva; deſinens ante P. D. *P. P.* lanceolatæ, glaucæ. *P. V.* cum illis pari longitudine; albæ. *P. D.* pone oblique truncata: *A.* rotundata; ambæ fuſcæ; baſi denſiſſime ſquamatæ. *Radii* ſpinoſi in Dorſali ſenſim majores ad quartum: medius *P. A.* major tertio. *P. C.* nigra, truncata: *faſcia* apicis lata, hyalina: ad baſin lunula alba, cornibus fulvis. *Color* corporis albus, parte caput verſus, faſciaque per oculos nigra: parte poſteriore fuſca, faſciis nigris, 12.

RAD. B. 6. D. $\frac{13}{37}$. P. 16. V. $\frac{1}{6}$. A. $\frac{3}{22}$. C. 17. Long. 3. poll.

MOCHHÆ. Arab. *Hadjan.*

84. CHÆTODON ASFUR; *niger: faſcia transverſa, lunari-cuneata flava.* Holacanthus asfur Rüpp.

DESCR. *Truncus* ovalis. *Dentes*, multi, flexiles, filiformes. *Opercula* anteriora, pone ſpina valida, retroverſa, ſemipollicari. *Faſcia* in medio corpore transverſa, flava, digiti latitudine, lunato-cuneata, cornibus retroverſis. *P. D.* & *A.* horizontaliter protenſæ, falcatæ. *P. C.* vix pollicaris: fulva, rotundata: linea nigra marginali. *L. lat.* curva, dorſo propior. *Squamæ* rhombeæ, quincunciales, ſubtiliter dentatæ.

RAD. B. 6. D. $\frac{12}{3}$. P. 16. V. $\frac{1}{6}$. A. $\frac{3}{22}$. C. 16. Long. 5 poll. lat. $2\frac{1}{2}$.

LOHAJÆ. Arab. *Tabak el herr.* Aliis *Aſſur.* عصفور

84. b) *Varietas* viſa *Mochhæ: cæruleſcens; lituris & faſciis obliquis; lineolis violaceis: P. A. breviore P. C.* Holacanthus maculosus

Inter corallia habitat. Corbe capitur, allectus carne Strombi. Caro amara; nec tamen venenata. Vocatur *Hæddaja:* an idem nomen cum *Hadjan?*

85. CHÆTODON maculosus, arusa; *cinereus, maculis transverſis cæruleis: operculis anterioribus uni-ſpinoſis.*

Descr. *Corpus* ovato-oblongum: dorſum curvum: abdomen rectum. *Dentes* numeroſi, filiformes, introflexiles, apice ſimplices. *Labium* ſuperius protractile. *Frons* inter oculos elata, plana, ſquamata. *Opercula* ſquamata: anteriora pone ſerrata: infra ſpina retroſpectante, forti, lanceolata. *Color* cinereo-ſericeus. Ad nucham maculæ multæ, transverſæ, lineares, cæruleæ: in operculis poſterioribus & gula maculæ cæruleæ paucæ: pone medium corpus macula magna, transverſa *aurea;* pone truncata, antice rotundata; ſuperne ſinubus cinereis interrupta. *P. P.* ovatæ, obtuſæ. *P. V.* lanceolatæ, ultra anum pertingentes. *P. D.* ſuperne recta, ſurgens retrorſum; pone falcata; ſub falce perpendiculariter truncata. *P. A.* triangularis, infra recta, horizontalis. *P. C.* integra, parum rotundata. *Spinæ dorſ.* ordine longiores. *Spinæ A.* ordine duplo longiores præcedentibus. *Lin. lat.* dorſo propinqua, parallela. *Squamæ* verſus caput latiores, margine ſtriatæ, ſerratæ. *Cauda* & *P. C.* cinerea, guttis flavis.

Rad. B. 5. D. $\frac{12}{34}$. P. 19. V. $\frac{1}{6}$. A. $\frac{3}{24}$. C. 16.

Lohajæ. Arab. *Aruſa:* vel *Aruſet el báhr.* عروسه البحر quod *ſponſam* denotat; & cognominis loco interdum additur piſcibus præſtantioris formæ. Gr. Χαρκόγλος.

86. CHÆTODON saxatilis: *albidus; faſciis transverſis quinque nigris.* (Linn.)

Descr. *Corpus* ovatum. *Dentes* leviter emarginati, filiformes. *Labia, Vertex, Opercula* ut congenerum. *Oculi* ſubtus cincti annulo oſſeo, margine punctato. *P. C.* bifida. *P. D. A.* & *C.* nigro-fuſcæ, baſi ſquamis erectis ſeptæ. *L. lat.* curva. *Squamæ* integræ.

Rad. B. 5. D. $\frac{13}{27}$ P. 18. V. $\frac{1}{6}$. A. $\frac{2}{15}$. C. 15? Long. ſpith.

Djiddæ. Arab. *Gate, Gete,* vel *Gatgût.* ادو قتغوت non frequens; profunde inter corallia habitat. *Eſt & alius hujus ſpeciei minor.*

87. CHÆTODON sordidus; *fuſco-cinereus, ovatus, faſciis transverſis obſoletis, quatuor.*

Descr. *Dentes* unius ſeriei, filiformes, æquales, contigui; apice obtuſi. *Labia, Nares, Oculi* eorumque annulus oſſeus, ut congenerum. *Opercula* poſteriora margine bidentata. Pinnæ cinereo-fuſcæ. *P. P.* ovatæ, obtuſæ. *P. V.* magis nigricantes, apice acuminatæ, & filo brevi terminatæ. *P. A.* & *D.* pone rotundatæ: baſi carnoſa, ſquamata.

Spinæ

Spinæ D. ſquamis erectis ſeptæ. *P. C.* flaveſcens, bifida, lobis obtuſis. *Sp. A.* ſecunda duplo major prima. Interſtitia radiorum ſquamata. *Dorſum* & Abdomen pone multum declivia. *Cauda* brevis, macula ſuperne nigra. *L. lat.* dorſo propior, non parallela: in cauda non evidens. *Squamæ* latæ, margine membranaceæ, vix dentatæ. *Color* cinereo-fuſcus, ſordidus, faſciis latis, transverſis, pallidis. *Ramenta* parva poſt Spinas D.

RAD. B. 5. D. $\frac{13}{28}$. P. 19. V. $\frac{1}{6}$. A. $\frac{2}{16}$. C. 14. Long. ſpith.

DJIDDÆ. Arab. *Abu defduf.* ابودفدوف inter corallia: rete capitur: ſapidus.

88. CHÆTODON UNICORNIS *fronte cornuta; cauda carinis utrinque duabus, elatis.* *Naseus unicornis*

DESCR. *Corpus* ovato-oblongum, compreſſum, ſcabrum, cinereo-nitens. *Dentes* rigidi, unius ſeriei, conico-ſubulati: medii majores. *Labia* obtuſa; ſuperius fixum. Ante oculos *Cornu* horizontale rectum, conico-obtuſum $\frac{1}{4}$ poll. altum. *Frons* recta, declivis. *Nares, Opercula* ut congenerum. Sub naribus *ſulcus* lanceolatus, obliquus. *Branchiarum* apertura brevis: ibi incipit *P. D.* illa & P. A. ad Caudæ baſin pergit. *P. P.* ovato-acuminatæ, ejusdem long. cum Ventr. *P. C.* medio truncata: utroque angulo lobum falcatum emittente. *Cauda* ſurgens: medio anguſtior: utrinque ſcuto duplici; priore rotundo, altero rhombeo. In utriusque medio carina quadranti-formis, compreſſa, rigida, pone rotundata, antice truncato-exciſa, nigra, margine hyalino. *L. lat.* dorſo propior, parallela.

RAD. B. 4. D. $\frac{6}{35}$. P. 17. V. $\frac{1}{4}$. A. $\frac{2}{31}$. C. 16. Long. 1. uln.

DJIDDÆ. Arab. *Abu garn.* ابو قرن i. e. *cornutus.* Frequentiſſimus: ſemper gregarius, numero 2 vel 400. Herbis veſcitur, quas in ventre diſſecti inveni. Caro non admodum grata. Jaculo vel rete; non hamo venatur. Retulit Piſcator ſe vidiſſe *Aquilam* delapſam in gregem horum Chætodontum, qui adeo arcte ſe ſtipant; unde contigit, ut avis ſingulis unguibus totidem piſces corripuerit: qui varias in vias diſcedentes, unita vi aquilam lacerarunt.

89. CHÆTODON SOHAL; *cauda utrinque carina oſſea, in foſſula rubra.* *Rhombotides sohal*

DESCR. Figura ovata. *Dentes* una ſerie, contigui, crenati. *Caput* ſquamatum. *Opercula* integra. *Color* fuſcus, lineis longitudinalibus violaceis: venter albicans. *Labia* æqualia. *Pinnæ* coriaceæ, violaceæ: pectorales macula flava. *L lat.* obſoleta. *P. D.* a capite ad caudam con-

continuata. *P. A.* incipit in medio corpore, & terminatur ad caudam. *Cauda* medio truncata; angulis incurvis, duplo longioribus. In utroque latere *carina* longitudinalis oſſea, rubra: recumbens in foſſula rubra, & vulneris ſpeciem referens. *Spina* pone & ante hanc carinam.

Rad. B. 3. D. $\frac{8}{39}$. P. 17. V. $\frac{1}{6}$. A. $\frac{3}{32}$. C. 16. Long. 3. ſpith.

Arab. *Sohal:* vel *Sahal.* سهل Aliis *Schauſch.*

An *Chæt. lineatus* Linn.? Dentes non ſetacei, numeroſi; ut character Chætodontis poſtulat: iſta nota convenit cum *Sciæna.* Arab. *Boteit.*

Victitat pulvere fundi marini. Caro nullius pretii.

90. CHÆTODON nigrofuscus; *cauda utrinque ſpina recumbente.*

Rhombotides nigrofuscus Bl.

Descr. Præcedenti proxime affinis. *Differt:* omnibus corporis partibus nigro-fuſcis. *Pinnæ C. lobi* duplo breviores ipſa pinna, & falcati: pinnæ margo poſticus, leviter albus. *Spina* lateralis caudæ haſtato-ſubulata; erigenda tota e foſſula. P. D. & A. radius ſpinoſus primus ſub cute reconditus.

Rad. B. 4. D. $\frac{8}{33}$. ſ. $\frac{9}{34}$. P. $\frac{1}{15}$. V. $\frac{1}{6}$. A. $\frac{2 \cdot V \cdot 3}{26 . V . 27}$. C. 16. Long. 5. poll.

Djiddæ. Arab. *Tægá.* تقع *Chætodon nigricans* Linn. ab hoc differt cauda integra.

90. b) Gahhm Arab. ægre ab hoc diſtinguitur; niſi colore undique *nigro:* baſi P. C. violacea: Figura non oblonga, ſed ovata. Dentibus non obovatis, ſed lineari-obtuſis, apice ſerratis Margo poſticus P. P. parum flaveſcit. Spina D. & A. prima ſub cute recondita.

Rhombotides gahhm Bl.

Rad. B. 4. D. $\frac{8}{35}$ P. 18. V. $\frac{1}{6}$. A. $\frac{2}{26}$. C. 16. Long. 3. ſpith.

In profundo verſatur. Ludit tempore æſtivo gregatim in ſuperficie.

91. CHÆTODON bifasciatus: *cauda bifida, flava, faſciis duabus capitis nigris.*

Sparus bifasciatus Bl. Chrysophrys bifasciata C.

Descr. Ovato-oblongus, argenteus: faſciis capitis nigris, latis una per oculos: altera per marginem operculorum *Vertex* rugoſus. *Iris* argentea. *Labium* ſuperius longius. *Dentes* inciſores utriusque maxillæ quini, validi, conico-obtuſi. Maxillæ plenæ callis hemiſphæricis, confertis, validis. *Nares* lineares: ante ſingulam foraminulum teres. *L. lat.* curva, dorſo parallela, propior. *Opercula* anteriora, pone ſerrata: poſteriora pone acumine oſſeo. *P. D. & C.* flavæ: *P. P.* dimidio ſuperiori flavæ, inferiori: albæ. *P. V.* nigræ. *Spinæ D. & A.* in

foſſa;

foſſa; earum pars reſupina ſquamis erectis: & pone angulo carneo. *Cauda* protenſa, linearis; pinna bifida. *Spina* prima P. A. quintuplo brevior ſecunda.

RAD. B. 5. D. $\frac{11}{24}$. P. $\frac{0}{16}$. V. $\frac{1}{6}$. A. $\frac{3}{14}$. C. 17.

DJIDDÆ. Arab. *Rabagi* رباقي vel *Rabdja* vel *Robgi*.

92. CHÆTODON PICTUS; *albidus, lineis obliquis violaceis, faſcia nigra oculorum & caudæ*.

DESCR. *Corpus* compreſſum, fere rectanguli forma. *Roſtrum* prominens. *Labia* æqualia. *Vertex* 5 lineis transverſis fulvis. *Faſcia* nigra per utrumque oculum, ſupra juncta. Utroque latere *lineæ* violaceæ, parallelæ: ſex ſupremæ ſurſum aſcendentes: reliquæ 12 deorſum. Faſcia nigra obliqua per baſin caudæ. *P. D.* nigra ante radios ſpinoſos: pone rotundata ut & *P. A.* breviores *P. C.* quæ truncata, in medio lunula aurea, margine fuſco. *L. lat.* curva, parallela margini P. D. *Squamæ* latæ, ſerratæ, ſeriebus obliquis.

RAD. B. 6. D $\frac{13}{38}$ P. 16. V. $\frac{1}{6}$. A. $\frac{3}{24}$. C. 17. *Mochhæ*.

93. CHÆTODON ABU DAFUR Arab. eſt charactere *Aruani* LINN. albus, faſciis tribus nigris: ſpinis Dorſ. 12. A. 2. *Djiddæ* habitat, rarior, inter corallia. ſpith. long. it.

93. b) JAHÛD. يهود an Chæt.? pedalis long. Hamo venatur: caro inutilis.

93. c) HANNI: roſtrum obtuſum: dentes rigidi: molares obtuſi plurium ſerierum: faſciæ 5, alternæ latiores: radii D. 3, 4, 5, inermes, longiores.

SILURUS.

94. SILURUS DOCMAK; *pinna dorſali poſtica adipoſa, ani radiis decem, branch. 2. cirrhis octo.*

DESCR. Longitudo ulnæ & ultra. *Corpus* nudum. *Caput* depreſſum. *Tentacula* utrinque 4. exteriora longiora: extima labii ſuperioris, longitudine dimidii corporis: extima labii infer. dimidio breviora. *Dorſum* convexum. *Cauda* bifida. *L. lat.* recta, ſupra dimidium corpus. *Color* piſcis cinereus, ſubtus albidus. *Radius* primus dorſ. & pect. pone dentatus, oſſeus, ſed apice mollis.

RAD. B. 2. D. 10. P. 11. V. 6. A. 12. C. 18.

In *Nilo* inferiori ad Deltam. Arab. *Doqmâq*. دقماق

95. SILURUS BAJAD; *pinna dorſi poſtica adipoſa; cirrhis* 8.

Bagrus bayad Cuv.

DESCR. *Corpus* magnitudine pedali. *Color* corporis & P. D. poſter. (quæ adipoſa) glaucus: reliquarum pinn. rufeſcens. *Caput* obtuſum, depreſſum. *Maxilla* ſuperior longior: intus duplici arcu transverſo denticulorum permultorum. *Tentacula* ſeu cirrhi utriusque labii quatuor: In ſuperiori laterales longiſſimi, ad medium P. D. adipoſæ: *medii* ante nares, capite breviores. Inferioris maxillæ cirrhi extremi capite longiores. *Caverna* in utroque latere capitis ante oculos; magis conſpicua, quum os aperitur. Supra P. Pect. *aculeus* fortis ſub cute, retro ſpectans. *L. lat.* principio deſcendens; inde rectiſſima. *Cauda* recte protenſa, verſus apicem dilatata; pinna bifida. P. A. oppoſita D. adipoſæ: quæ multo longior.

RAD. B. 5. D. $\frac{1}{10}$. P. $\frac{1}{11}$. V. 6. A. 12. C. 20.

In *Nilo*. Arab. *Bajâd.* بياض

96. SILURUS CORNUTUS; *pinnis pect. inermibus; radio pinnæ dorſalis primæ dentato.*

DESCR. Ovalis: a roſtro ad caudam ſpithamalis. *Roſtrum* rectum, compreſſum, apice parum recurvum, obtuſum: dimidii corporis longitudine; ab oculis dimenſum. *Venter* ante P. V. carinatus oſſe acuto. *P. D. prima*, radiis 3 pungentibus; incipiens poſt medium dorſi: *primus* radius ad mediam P. caudæ extenſus, cultratus, ſtriatus, rectus, acutus; ſubtus duplici ordine ſpinularum dentatus, ultra dimidium. Ad baſin P. D. ſecundæ, corpus format angulum fere rectum; & pinna ſita in declivitate; radiorum 6. P. C. rad 9.

MASSILIÆ. Gall. *Chardonneret.* Siccatum tantum vidi.

SALMO.

97. SALMO, Arab. ROSCHAL, رشال *pinnis albidis: caudæ dimidio inferiore rubro: colore argenteo.*

Hydrocyon Forskalii Cuv.

OBS. Eſt *Haſſelquiſtii Salmo dentex;* quem *Linn.* ad Cyprinum rejecit: quamvis huc jure referendus. Membr. B. rad. 4. D. 10. V. 9. A. $\frac{1}{14}$. Dentibus ſubulatis, maximis. Dorſum fuſco albidoque lineatum. Dentes prominentes, ſeu exſerti.

97. b) SALMO NILOTICUS; *Linn.* eſt Arabum *Rai:* rad. D. 9. adeoque diverſiſſimus ab *Haſſelquiſtii* qui eſt Ægyptiorum NEFASCH. M. Br. oſſibus 4. R. D. 23. dorſo vireſcente: dentibus maxillæ infer. majoribus P. C. baſi ſquamata: quo charactere ſatis a congeneribus diſtinctus eſt: etiam a *Thymallo*, cui quoque R. D. 23. ſed R. Br. 10. & dentes maxillæ ſuperioris majores.

Alestes dentex M Tr.

ESOX.

Distichodus niloticus M Tr. = Nefasch

ESOX.

98. ESOX MARGINATUS; *pinna dorſali anique oppoſitis; linea laterali argentea; maxilla inferiori ſextuplo longiori.* Hemirhamphus marginatus Rüpp.

DESCR. *Corpus* lineare, utrinque attenuatum, lateribus parallelis: abdomine & dorſo ejusdem craſſitiei. Long. ſequiſpith. Altitudo craſſitie ſeſquimajor. *Caput* ſupra horizontale, corpore anguſtius. *Gula* compreſſa. *Labium* ſuperius triangulum æquicrurum format horizontale, planiuſculum; baſi mobile & ſponte ſurgens dum labium inferius deprimitur. Labium infer. ſextuplo longius ſuperiore; lanceolatum, depreſſum, planum, corneum. *Dentes* in junctura maxillarum numeroſi, erecti, ſetacei, rigidi, parvi. Labiis conniventibus, inferiores extra labium ſuperius prominent. *Nares* utrinque ſimplices, magnæ, reniformes, transverſæ. *Opercula* nuda, integerrima. *Oculi* juxta verticem, parum remoti. *Dorſum* rectum, convexum. *Abdomen* rectum, planum; laterali linea *marginatum* usque ad P. V. *Cauda* attenuata, recta. *L. lat* a capite ad P. V. *marginem* abdominis conſtituit: dein elevatur, & oblique decurrit infra corporis medium: finitur ſub apice P. D. *Squamæ* latæ, laxæ, integræ. *Color* totus albidus; dorſum & vertex fuſcus. *Vitta* in utroque latere longitudinalis argentea, ſquamis craſſioribus ſtriatis. *P. pect.* juxta caput in medio latere, lanceolatæ, longitudine capitis (excepto labio infer.). *P. V.* pone $\frac{2}{3}$ corporis ſitæ, ad marginem inferiorem utriusque lateris: pone exciſæ: radio extimo & intimo incurvis, hoc longiore. *P. A.* glauca, extus flaveſcens: parva, triangularis: medio inter P. V. & C. *P. D.* extus flava: oppoſita P. A ſed major & latior. *P. C.* pectorali ſeſquilongior, bipartita, lobis lanceolatis, inferiore, (quod peculiare) longiore. Superior pallide-flavus, margine poſtico fuſcus.

Arab. *Gambarûr*, قمبرور DJIDDÆ.

RAD B. 13. D. $\frac{0}{13}$. P. 11. V. $\frac{0}{6}$. A. $\frac{1}{10}$. C. 14.

Eſoci hepſeto, LINN. valde affinis; & ſimul cum illo ſeparandus in proprium genus, cujus character petendus a forma dentium & ſitu pinnarum. Qui in *Am. Acad.* deſignatur: *labio infer. longiore, & P. A. differentibus*; aut nova eſt ſpecies; aut prorſus diverſi generis.

98. b) FAR; *Lohajæ:* huic ſimillimus: ſupra lineam argenteam maculis nigris notatus. Hemirhamphus far Rüpp.

98. c) ESOX BELONE; *Maris Rubri;* linea laterali juxta abdomen; & pinnis pone exciſis *Rad.* B. 14. D. 22. P. 13. V. 7. A. 21. C. 15. Mastacembelus choram
Arab. *Charman* خرمان vel *Choram.*

ARGENTINA.

99. ARGENTINA GLOSSODONTA; *lingua baſi tuberculis oſſeis dentata.*

Conorhynchus glossodon Bl.

DESCR. *Corpus* lineari-lanceolatum: facies Mugilis cephali: *Color* argenteus, ſplendens: dorſum obſcurius: venter albus: pinnæ glaucæ. *Caput* corporis latitudine, compreſſum, attenuatum, nudum. *Maxilla* ſuperior longior apice conica, annulo nigro: non protractilis. *Inferior* intus in margine medio, callo æmulatur Mugilis carinam. *Dentes* in utriusque maxillæ margine ſetacei, confertiſſimi, parvi rufeſcentes, multorum ordinum. In *palato* anteriore dentes ſetacei numeroſi: medium palati nudum: in fundo dentes molares hemiſphærici, albi, validi, multi, in tres areas digeſti: in parte linguæ his dentibus ſubjacente, ejusdem indolis dentes plurimi. Tot dentibus baſis linguæ gibba, rigidiſſima: apex ejus albus, obtuſus, nudus, mollis, gibbo iſto dentato multo humilior. *Nares* duæ orbiculatæ, inter oculos & apicem roſtri mediæ. *Vertex* glaucus, modice declivis, planus, lateribus inter oculos tenue tuberculatus: medio ſulco longitudinali, lato, obſoleto. *Oculi* iride argentea. *Opercula* nuda: anteriora linea longitudinali elata, undulata; pone in medio rugoſa: margine poſtico emarginata. *Pylori* appendices 22. *Veſica aerea* coriacea, albida, cylindrica. *Squamæ* latæ, rotundatæ, integræ, baſi ſtriatæ, in lineas longitudinales imbricatæ: quarum juncturæ vittis longitudinalibus, obſcurioribus a latere. *L. lat.* rectiſſima, dorſo propior. *Br.* oſſicula 8 evidentia: reliqua 5 exteriora in membrana coriacea quaſi occultata; ut ægre tranſpareant. Duæ membr. br. ſub gula uniuntur, tectæ membrana coriacea, alba, ſtriata, margine crenulata. *P. D.* in medio dorſo, radiis utrinque alatis: pone ad baſin glandula ſphærica albida, magna, uniſulcata. *P. P.* in loco humili ac velut impreſſo recondendæ, ut lateribus æqualia evadant. *P. V.* ſitæ ſub baſi dorſalis, remotæ, & ſupra eas appendix membranaceus, triquetro-lanceolatus. *P. C.* bifida, interſtitiis ſquamatis. *Anus* ad apicem P. V. duplo remotior a P. A.

RAD. B. 13. D. 16. ſ. 18. P. 19. V. 10. ſ. 11. A. 8. C. 20.

DJIDDÆ. Arab. *Bönuk.* بنك LOHAJÆ *Bunuk.*

100. ARGENTINA MACHNATA; *lineari-lanceolata, membr. br. ultra 30 radios.*

Elops saurus L.

DESCR. *Caput* latitudine corporis: ſupra horizontale: ſubtus ſurgens. *Dentes* numeroſi, ſubtiliſſimi, ſcabritiem referentes: tantum in maxillis, palato, linguæ medio & baſi. *Labium ſuperius* brevius, recta protenſum: in medio non protractile; oſſibus lateralibus longis, mobilibus; lan-

lanceolatis, ad imum usque marginem dentato-ſcabris, membranæ dilatabili annexis; adeo ut eorum ope rictus valde dilatetur. *Labii inf.* latera, carina media longitudinali, valida, obtuſa. Inter duas max. inf. *oſſiculum* utrinque lanceolatum, utroque latere membranæ peculiari affixum; pone ſupra M. Br. apicem prominens, oſſi Sepiæ ſimile; quale in aliis non vidi piſcium generibus. *Nares* utrinque duplices, mediæ inter oculos & roſtrum, contiguæ: poſteriores longe majores, oblongæ, anterius rotundatæ. *Oculi* grandes, vertici contigui: iride argentea. *Opercula* nuda, integerrima ſtriis elevatis, pone membrana lata, ſtriata, humiliore, appendiculata. *Vertex* planus; *ſulco* latiſſimo, pone latiore, ovato, inter duas carinas obtuſas, juxta oculos oblique ſtriatus. *Dorſum* & Abdomen pari craſſitie, lateribus parallelis. *L. lat.* parva, ſupra medium corpus; juxta caput parum deſcendens; inde rectiſſima. *Squamæ* mediocres, integræ, ſtriatæ. *Color* piſcis argenteus; dorſo obſcuriore, cæruleſcente. P. D. A. C. glaucæ; P. A. & C. ſubtus flaveſcentes. *P. D. & A.* membrana erecta utrinque ſeptæ: earum pars anterior duplo elatior, triangularis: poſterior humilior, linearis, tota inter membranas recondenda. Radii earum ſpinoſi, filiformes, ſubflexiles; arctiſſime adhærentes radio ſequenti. *P. Pect. & Abd.* flaveſcentes, pone albidæ: ovato-acutæ: ejusdem magnitudinis: radio primo inermi, valido; auctæ appendice membranaceo, lanceolato, majori. *Situs* P. D. in medio dorſo: V. ante D. P. A. propior P. C. quam V.

DJIDDÆ. Arab. *Machnat.*

RAD. D. $\frac{4}{24}$ P. 17. V. 15. A. $\frac{3}{17}$ C. 18. Br. radii ſiniſtri 34; dextri 32: ſæpius hunc numerum obtinui; in unico tantum variavit piſce. Ad genus Argentinæ hanc retuli ob dentes maxillæ, palati, linguæ, & pinnas V. multi-radiatas. Facies Clupeæ; ſed abdomen non ſerratum, verum obeſum, rotundatum.

Hæc erat longa $2\frac{1}{2}$ ſpith. alta 2 poll. In diſſecta, apparuit pylorus jecore circumdatus; ſed appendices nullæ. Veſica aerea a capite ad anum protenſa, hyalina, adhærens dorſo & lateribus. *P. C.* eſt valde bifida, latere inferiori flaveſcens, lobis lanceolatis.

ATHERINA.

101. ATHERINA HEPSETUS.

Quam *Haſſelquiſt* eodem deſcripſit nomine; aliquot notis differt ab Ægyptiaca: quæ digito longior non eſt, & digiti lati altitudine: dorſum craſſum: abdomen attenuatum: venter planiuſculus. *Corpus* pellucidum, hyalinum, & quaſi nudum, licet ſquamatum: tantum e regione vittæ

 longi-

longitudinalis opacum. *Maxillæ* denticulis minutiſſimis, plurimarum ſerierum. In baſi *Linguæ* carina media elata, denticulis ſcabra. *Iris* macula fuſca ſuperne. *Oculi* roſtro propiores. *Vertex* ſine angulis, ſed latus, planus, fronte decliva. *Opercula* diviſa peculiari lamina ſubtriangulari. *Nares* prope labium ſimplices, oblongæ, perpendiculares, vix clauſæ. *P. P.* vittæ inſertæ: ventralibus duplo longiores. *P. D.* prima paulo poſt medium dorſum. *P. A.* ab ano remota. *L. lat.* duplex; non nigricans, ſed tantum impreſſa. *Vitta* utrinque argentea, nitida, lata, recta, a P. P. ad caudæ apicem: alia, parva ſubtus a baſi P. V. ad Anum: non vero ad inferiorem marginem puncta nigra.

Rad. B. 7. D. 6. 11. P. 16. V $\frac{1}{6}$. A. 14. C. 17.

Djiddæ. Arab. *Abu geſchguſch:* vel *Abu keſckul*, vel *Keſchkuſch.*

102. ATHERINA sihama; *pinnis V. ſubthoracicis; radiis D. pinnæ primæ undecim.*

Descr. Magnitudo ſeſquiſpith. *Corpus* inter opercula poſtica craſſius; inde attenuatum verſus os & caudam: ſubpellucidum: Vitta media argentea opaca, externe minus dignoſcenda, niſi lumini obvertatur. *Caput* attenuato-depreſſum, ſubtus planatum. *Labia* obtuſa, ſuperius protractile. *Dentes* ut in præcedente. *Oculi* pone capitis dimidium: iride albida, ſuperne fuſca. *Nares* utrinque duplices, propinquæ, rotundatæ, ſubæquales. *Vertex* inter oculos planus, ſquamatus. *Opercula*, *anteriora* pinguedine craſſa, pellucida una ſerie ocellorum obſcure-viridium, centro albo: *poſtica* ſquamata, integerrima: ab anterioribus diviſa operculo medio, pone dentato, extrorſum ſerie ocellorum viridium, pupilla hyalina: ſerie iſta utrinque ſub gula continuante. *Squamæ* mediocres, rotundatæ, leviter denticulatæ. *Vitta* utrinque longitudinalis opaca in medio corpore & *alia* ſubtus, incipiens a P. V. & deſinens ad P. A. *Color* totus albido-glaucus, dorſo obſcurior; pinnæ omnes glaucæ: ſub vitta puncta plurima nigra. *L. lat.* dorſo propior; parallela juxta caput: in cauda recta & media. *P. Pect.* lanceolatæ; abdomini propiores; ſub linea argentea. *P. V* ſub poſtica baſi pectoralium; adeo ut piſcis Thoracicus dicendus. *P. D.* incipit poſt V. & finitur ſupra regionem ani. *Anus* in medio corpore. *P. A.* oppoſita dorſali poſteriori; cum expanditur truncata; complicata, leviter exſecta; lobo inferiore breviore.

Sillago sihama Rüpp.

Rad. B. 6. D. $\frac{11}{11}$. 21. P. 16. V. 6. A. 23. C. 17.

Lohajæ. Arab. *Sjhâmi.*

CYPRI-

CYPRINUS.

103. CYPRINUS BYNNI; *pinna dorſali radiis* 13; *tertio craſſo, corneo.* Barbus Bynni

DESCR. Magnitudo cubitalis menſuræ. *Caput* compreſſiuſculum. *Corpus* ovato-oblongum; totum argenteum. *Dorſum* declive per totam baſin pinnæ: *Abdomen* declive, per baſin P. A. *L. lat.* infra medium corpus, ſurſum curva. *Cauda* linearis, parum ſurgens. *Cirrhi* oris 4; nonniſi ad nares pertingentes; inferiores craſſiores. *P. D.* primæ 3 radii appreſſi ſequenti oſſeo & quaſi adnati, ut cum eo numerentur: quartus reliquis decuplo craſſior ſubulatus; ſubtus canaliculatus, duriſſimus; apice terminatus cartilagine molliori; poſt hunc radii 10. *P. C.* bifida, acuta; rubra, baſi alba. *P. A.* idem color. Reliquæ P. albidæ; margine craſſiore ruféſcentes.

RAD. B. 3. D. $\frac{I\,V.}{10}\frac{3}{12}$. P. 17. V. 9. A. 6. C. 19. Arab. *Bynni.* بنّي

Accedit ad *Cypr. Barbum;* ſed huic abdomen curvum; & radius dorſ. fortis.

Niloticus, vulgatiſſimus, ſapidus: quem omiſſum miror ab *Haſſelquiſt*, ſedulo inveſtigatore piſcium Niloticorum.

104. CYPRINUS NILOTICUS. Arab. *Lebés.* لبيس Labeo niloticus Cuv.

Differt a *Cypr. rufeſc. Haſſelq.* quod huic *radius ſpinoſus* nullus in P. P. *Os* ſub capite. *Maxilla* ſuperior, longior, obtuſa, carnoſa: utraque triplici *margine* gaudet: interiorem & extimum integerrimum: medium crenulatum.

104. b) *Varietatem* vidi, oris margine ſubtus duplici: tertii loco erat utrinque caverna profunda, fiſtulæ ſimilis. Labeo Forskaolii Rüpp

105. CYPRINUS LEUCISCUS; (LINN.) *cauda ſubæquali, P. D. & A. ovatis.*

OBS. *Duas* vidi *Varietates.* *Conveniunt: Iride* alba: *Labio* ſuperiore breviore *Vertice*, lato, plano; adeo ut *oculi* tribus ſuis diametris diſtent. *Litura* aurea longitudinalis in operculo poſtico pone. *P. D.* & *A.* ovata: *C.* vix exſecta. *Color* albus; dorſi obſcurior.

Differunt. UNUS: *Dorſo* a capite ad P. D. recto, fuſco: *pinnis* glaucis: P. C. faſciæ nullæ: *lateribus* verſus caudam faſciis transverſis, obſolete-fuſcis.

ALTER: *Dorſo* inter caput & P. D. curvo, glauco *Pect.* & *V.* flaveſcentibus: *P. A.* faſciis obliquis flavis: *P. D.* nigro-punctata: *P. C.* faſcia duplici transverſa, lunata, nigra, retrorſum verſa: pone eam ad marginem flavicante: *corporis lateribus* argenteis, immaculatis.

DJIDDÆ. Arab. *Abu grymbi.* Aliis *Gubrúmbi.* LOHAJÆ. *Budjenn.* بجن

RAD. B. 4. D. 8. ſ. 9. P. 16. V. 7. A. 9. C. 17. Longit. pedis.

CLUPEA.

CLUPEA.

106. CLUPEA HAUMELA, *lanceolata, nuda; pinnis V & A. nullis; dorſali per totum dorſum extenſa: cauda lineari apterygia.*

Enchelyopus haumela Bl.

DESCR. *Corpus* ſine ſquamis, politiſſimum, argenteum; verſus dorſum compreſſum. *Maxilla* inferior, longior. *Dentes* ſubulate-compreſſi, validi, remoti, perpendiculares. *Vertex* planus, rhomboidalis *Nares* ſimplices, transverſe-oblongæ. *Opercula* cute communi obducta, nuda; pone utroque margine exciſa; apice hyalina. *L. lat.* incipit a ſupremo angulo operculi non procul a dorſo: inde mox deſcendit circa Pect. ac dein recta pergit ad apicem caudæ; abdomini propinqua & parallela. *Cauda* compreſſa, linearis; pinna nulla. *Anus* in medio corpore. *P. Pect.* baſis ante apicem operculi. *P D.* a nucha ad caudam continuata, colore glauco; & macula oblonga, longitudinali, argentea, cincta colore fuſco. Poſt anum pinna nulla, ſed *Aculei* 82 in cute reconditi; digito antrorſum moto ſentiendi. Hac nota & facie intrat genus Clupeæ? quamvis P. V. deſint.

RAD. B. 6. D. 133. P. 12. V. 0. A. 82. ſpinulæ. Long. 1. uln. lat. 2 poll.

MOCHHÆ. Arab. *Háumela.*

107. CLUPEA BÆLAMA, ENCRASICOLUS?

Engraulis boelama

DESCR. *Corpus* lanceolatum, digito longius: dig latum altum: compreſſum, argenteum: dorſo fuſco: P. V. & A. albidis: D. & C. glaucis. *P. C.* bipartita. *P. D.* incipit a fine baſeos Ventr. & ejus baſis finitur e regione ani. *L lat* rectiſſima trans medium corpus. *Squamæ* trilobæ, magnæ, deciduæ. *Labium* ſuperius longius, obtuſum, breve, conicum, fuſceſcens; annulo verſus apicem ambiente impreſſo, hyalino. *Vertex* utrinque deflexus tecti inſtar, carina media obtuſa. *Oculi* iride rubra *Venter* usque ad anum ſquamis carinatis ſcaber. *Radii M. Br.* transverſi, æquales, pinnam linearem conſtituentes rectam a gulâ ad pectus

DJIDDÆ. Gregatim natat. Tenuioris ſortis homines ſalitam edunt: cæterum tantum pro eſca venatoria; in quem uſum ſervatur diu, ſale condita.

Arab. *Láaf* vel *Bælama.* Aliis *Sardin.*

RAD B. 11. D. 14. P. 13? V. 7. A. 32. C 18.

108. CLUPEA DORAB: *pinnis ventralibus minutis, labio ſuperiori dentibus porrectis bicorni; inferiori longiori, dentibus validioribus, erectis.*

Chirocentrus dorab Cuv.

DESCR.

Descr. *Corpus* lineare, argenteum, dorſo fuſcum. *Labium* ſuperius non protractile, recte protruſum. *Dentes* protenſi, remoti, inæquales: duo medii majores, acutiſſimi. *Labium infer.* longius, magis dentatum, dentibus erectis, utroque latere ſenis, mediis ſenſim majoribus, ſubulatis. *Nares* utrinque binæ, obliquæ, propinquæ, oblongæ; poſteriores majores. *Oculi* iride argentea. *Vertex* horizontalis, planatus, carina media valida, convexa. *Opercula* nuda, ſtriato-rivulata. *Nucha* cærulea. *Color* totus argenteus: dorſum ſupra nitidum, cæruleum. *Squamæ* integræ, deciduæ. *L. lat.* recta, dorſo propior; ſed adeo obſoleta, vix conſpicua. *P. D.* caudæ duplo propior quam capiti, ano oppoſita: media via dorſum parum gibbum. *Cauda* deſcendens. *Abdomen* rectum, acuminatum, ciliatum oſſiculorum apicibus filiformibus, per paria prominentibus. *P. V.* vix videndæ; in piſce cubitali, unguem longæ. *P. P.* ala membranacea, lanceolata ſupra & infra: radius primus latus & validus. *P. D.* & *A.* membrana utrinque erecta. *P. C.* bifida ad baſin.

Djiddæ. Arab. *Lyſan.* Mochhæ. *Machnat.* *Dorab.*

Rad. B. 8. D. 17. P. 14. V. 7. A. 34.

MUGIL.

109. MUGIL crenilabis; *pinna dorſali anteriore radiis* 4. *flexilibus: poſteriore inermibus: labiis crenatis; inferiore bicarinato.* Mugil crenilabis Forsk

Descr. *Caput* ſupra ſquamatum, ſquamis laxis. Corporis *ſquamæ* latæ, carina media longitudinali, fuſca. *L. lat.* obſoleta. *Labium* ſuperius ſecedens a capite: inferius intus in medio bicarinatum. Utraque labia margine crenulata. *Spina D.* gracilis, flexilis; tres primæ pari craſſitie, ordine breviores. *Spina V.* & *A.* quoque flexiles. *Pinnæ* omnes glauco-albidæ: caudæ lobi acuti. In baſi P. Pect. macula nigra, orbicularis.

In *Mari Rubro* frequens. Arab. *Arabi.*

Rad. B. 6. D. $\frac{4}{4}$ P. 17. V. $\frac{1}{6}$. A. $\frac{3}{11}$. C. 16. Long. $\frac{1}{2}$. uln.

109. b) MUGIL seheli; præcedentis forte varietas. P. D. *radii* rigidiores: *Labia* ſine crenis & ciliis. *Carina* apicis in labio infer. ſulco longitudinali, in duas carinas diviſo. *Baſis* P. Pect. intus tota nigricans. *Vittæ* laterum valde obſoletæ. P. P. flaveſcentes: V. albidæ: reliquæ glaucæ.

Rad. P. 16. C. 14. Magnitudo $\frac{1}{4}$ uln.

Arab. *Sehéli.* Lohajæ: *Hari.* Cum plejades auroræ tempore occidunt hieme, prurit. Alia ſpecies Mugilis *Tobâr;* طبار poſt occaſum plejadum ſociatur; cum pluvia & fulgur incidit.

109. c) Öur, عور *labio utroque ciliato; inferiori uni-carinato; oculis pinguedine fere obtectis operculo,* ſubtus & lateribus, atque pone. Macula P. P. oblonga, obliqua. *Vitta* longitudinalis fuſca, evidens.

109. d) *Tâde* طادة vel *Ædda: labio unicarinato. Radiis pinnarum ſpinoſis, rigidis.* Spina dorſ. ſecunda longior prima. Labium ſuperius ſubtiliſſime ciliatum. Macula P. Pect. nulla. P. V. D. & A. baſi rufeſcentes. Caudæ lobi obtuſi.

110. MUGIL chanos; *pinna dorſi unica; p. caudæ utrinque bi-alata.*

Descr. Oblongus: argenteus. *Caput* corpore anguſtius. *Nares* duæ teretes. *Opercula* nuda. *Dentes* & Cirrhi molles. *Squamæ* latæ, rotundatæ, tenue ſtriatæ. *Vertex* planus, glaber ſine ſquamis, glaucus. *Labia* integra: ſuperius, medio emarginatum, a capite non ſejunctum: inferius brevius; intus gibbo medio carinatum. *L. lat.* juxta caput ſurſum recurvata, dein rectiſſima, dorſo propior. *P. D.* in medio dorſo ſepta membrana erecta, libera, hyalina. *P. Pect.* & *V.* ſupra appendice membranacea, lanceolata. *P. A.* utrinque membrana. *Cauda* ſquamis rotundata: *pinna* valde forficata; verſus medium utroque latere alis duabus membranaceis. *M. Br.* ſub gula membr. coriacea nexæ & marginatæ. Inter radios branch. & operculum eſt *Oſſiculum* latum; neſcio utrum radiis an operculo adnumerandum.

Rad. B. 4. D. 14. P. 16. V. 11. A. 9. C. 20. Long. 1. Uln. Argentinæ accedit ob pinnam D. unicam, & Ventr. multiradiatis: at Mugil nominandus ob labium carinatum & dentes nullos; nec Veſicam aeream inveni ſimilem Argentinarum.

Djiddæ. Arab. *Anged.* عنقد

110. b) Iſte, *Anged*, ſola magnitudine differt ab alio 3 uln. long. Græc. Χάνος. Turc. *Chani.*

MORMYRUS.

111. MORMYRUS kannume; *roſtro decurvo, prominente: pinna D. lineari, longitudine corporis dimidii.*

Descr. *Corpus* adeo compreſſum. *Color* albidus. *Abdomen* a capite ad anum rectum; inde ſurgens. *Cauda* linearis; pinna bifida, obtuſa.

Roſtrum

Roſtrum conico-deflexum, labio inferiore longiore. *Dentes* emarginati. *L. lat.* recta per medium corpus. Apertura branchialis perpendicularis. *P. V.* mediæ inter pect. & ani. P. D. linearis: ante P. V. incipiens; continuata ad P. C.

Rad. D. 63. P. 15. V. 6. A. 17. C. 20.

Damiatæ. Arab. *Kannûme.* قنومه

BALISTES.

112. BALISTES assasi.

Descr. Parvus: fuſcus: ventre albo: *anus* niger, annulo fulvo. *Cauda* macula oblonga, alba, in qua triplex ordo verrucarum nigrarum. In *Vertice* inter oculos faſciæ transverſæ, cæruleæ 4; tribus nigris alternantibus. *Iris* aurea. Ab oculo ad baſin P. Pect. linea lanceolata nigra; ante eam linea lanceolata flava, margine albo-cæruleſcente. *Labia* flava. Ab ore ad baſin P. Pect. linea ferrugineo-fuſca. Corpus totum verrucis fuſcis muricatum. *P. D.* anterior nigra recondenda: radii primi verrucoſo-ſpinoſi. P. reliquæ pallide-rufeſcentes.

Djiddæ. Arab. *Djemel* جمل vel *Azzazi.* عزازي Edulis; inſipidus; ſpithamæ magnitudinis.

OSTRACION.

113. OSTRACION turritus; *ſuperciliis dorſoque ſpinis ſolitariis; abdomine ſpinis utrinque quatuor.*

Descr. Sub-tetragonus, tuberculatus: *cute* oſſea hexagonis contexta; ſuturis pellucidis; punctis elevatis multis ſcabra. *Cruſta ventris* latiſſima, plana, ovata; antice attenuata, pone obtuſa, ſub ore emarginata, utroque latere *Spinis* 4. retrorſum ſpectantibus, verſus caudam remotioribus. Cruſta ſupra caudam triangularis, obtuſa, ab utroque latere magno ſinu emarginata. *Dorſum* convexum, lateribus marginatum: in medio *Gibbus* elevatus, compreſſus, triangularis: ſupra ſpina brevi, erecta, retrorſum verſa. Totum corpus incruſtatum; præter labia, caudam & pinnarum baſin. *Frons* perpendicularis, rotunda, convexa, inter oculos depreſſa. *Oculi* plus duplo ſuo diametro remoti: iride aurea: ante utrumque foveola nigra, impreſſa, puncto medio albo, forte perforato. *Color* cruſtæ cinereo-flavicans: partium nudarum, fuſcus: caudæ, cinereus, guttis fuſcis. *Latera* declivi-concava.

Rad. D. 9. P. 10. A. 9. C. 10. Longit. 4 poll. lat. 2 poll.

Mochhæ. Arab. *Djémel.* An huic vel priori genuinum nomen, neſcio.

TETRAODON.

Grayracion fahaca Kl.

114. TETRAODON lineatus. Arab. *Fahaka.*

Descr. *Corpus* quadragonum. *Squamæ* nullæ; ſed *Aculei* retrorſum ſpectantes multi, appreſſi, & apice tantum exſtantes cute: unde corpus aſperum ab apice ad medium dorſum: deinde puncta impreſſa & latera glabra, ſine aculeis & punctis. *Cauda* integra. *Labia* craſſa, laxa, interne papilloſa. *Dentes* inciſores lati, in utraque maxilla duo; inferiores emarginati. *Iris* aurea, pupilla nigra. *Color* abdominis flavo-rufeſcens: Caput & dorſum glauco-cæruleſcentia: latera fuſco-cæruleſcentia, *lineis* latis utrinque 4: quarum duæ ſupremæ utrinque obſoletæ, curvæ; tertia antice bifariam diviſa, inſtar literæ V: infima alba, lata. *Frons* coarctata, glabra: tuberculis duobus ante oculos contiguis, & apice cirrhis inſtructis binis, brevibus. *Nares* pone illos. Piſcis per os inflatus, diſtenditur in globi formam propter laxam abdominis cutem.

E *Nilo.* *Rad.* D. 12. P. 19. A. 9. C. 10.

IN-

INSECTA.

SILPHA.

1. SILPHA MULTISTRIATA; *cinerea; elytris ſtriis plurimis; thorace emarginato.*

DESCR. *Facies* & magnitudo *Silphæ ſabuloſæ.* Tota cinerea: *ſtriis* in ſingulo Elytro 8. excavatis; interſtitiis, microſcopio viſis, tuberculatis.

Alexandriæ ſub herbis, rarius.

CHRYSOMELA.

2. CHRYSOMELA VIRIDI-CÆRULEA; *ovata; elytris ſtriis quinque.*

DESCR. *Facies* & magnitudo *Chryſ. graminis. Color:* caput, antennæ, pedes, pectus, abdomen cærulea: Thorax elytraque viridi-ænea *Thorax* punctatus, marginibus rugoſis, cæruleis. *Elytra* ſtriis quinis, punctis ſparſe geminatis.

Alexandriæ, verno tempore rarius. Pulchrum animal.

CICINDELA.

3. CICINDELA LITTOREA; *violaceo-ænea; elytris lunulis quatuor, cum margine confluentibus, albis.*

DESCR. *C. campeſtri* paulo minor. *Color* capitis, antennarum, thoracis viridi-æneus: pedes ænei: abdomen æneo-violaceum: frons & maxillarum baſis alba. *Thorax* quadratus, ſuperne pilis albidis paucis, ſubtus inter pedes nudus, lateribus hirſutus. *Abdomen* medio nudum, verſus latera veſtitum hirſutie alba *Pedes* piloſi. *Elytra* obſcure viridi-ænea, margine exteriore albo-flavicante Cum hac albedine connectuntur lunulæ 4 ejusdem coloris: harum anterior perpendiculariter fere e margine exit: ſecunda duabus componitur, una perpendiculariter e margine egrediente altera deſcendente & ſuturam fere elytrorum pertingente: tertia lunula & quarta ad baſin elytrorum jacent rectæ fere & erectæ.

Suës, inter urbem & naves in brevibus ſabuloſis refluente aqua diſcurrit, præſertim occidente ſole.

CARABUS.

4. CARABUS SERRATOR; *coleoptris ovatis, ſubplanis, pone truncatis, nigris, maculis inæqualibus, albis.*

In Deſertis *Kahirinis* rarior. Sui generis pulcherrimus, magnus, apterus. Elytrorum margines ſubtiliter dentati, quibus dum femora poſtica velociſſime affricat, mirum magnumque producit ſtrepitum.

TENEBRIO.

5. TENEBRIO ARUNDINACEUS; *alatus; obſcure ferrugineus, villoſus; antennarum tribus extimis articulis orbiculatis, majoribus, pallidioribus.*

DESCR. (Microſcopii ope inſtituta.) *Structura* tota ut in *Tenebr.* congeneribus alatis. *Longitudo* ſeſquilineæ, ſeu Pulicis maximi; ſed anguſtior. *Corpus* lineare, coloris caſtanei, ſeu obſcure-ferruginei, velut ex pulvere albido ſordidi: quod ſub microſcopii luce videtur provenire ex villis albis. *Oculi* nigri. *Antennæ* longitudine thoracis cum capite, extrorſum craſſiores, piloſæ: articulis undecim, quorum 8. inferiores oblongiuſculi, reliqui tres majores orbiculati, verticaliter compreſſi, reliquis pallidiores. *Thorax* ſubquadratus, marginatus, punctatus. *Elytra* thorace una cum capite duplo longiora, linearia, obtuſa, ſtriis tenuiſſimis, punctatis, villoſis. *Pedes* ejusdem cum corpore coloris: quatuor anteriores propinquiſſimi, poſtici remoti.

OBS. 1) Tenebrionum alat. tanta videtur cum Carabis affinitas, ut vel genere conjungantur, aut certe a Tenebr. Apteris, ipſa natura ſic ſuadente ſeparentur.

2) In Inſulis Niloticis KAHIRÆ reperi initio Junii 1762 in culmo *Arundinis niloticæ* inter corticem & medullam farinam nigro-bruneam; in qua paulo profundius *Vermiculi* albi habitabant, Tenebrionis hujus, ſine dubio Larvæ & pulveris illius architecti. Quo altius deſcendebatur, eo durior, pallidior magisque cohærens farina inventa eſt; donec demum in infimo caule manebat medulla adhuc alba & intacta. Hæc enim Arundo pulpa repletur albida, quæ vero jam in ſummitate culmi, cortice delapſo extravaſata; arida, ſinuoſa protumuit. Media pars ſimili modo exarida undoſis plicis corrugabatur, quarum ſinu hærebat iſta farina. Suſpicor ſpicas ſegetum effici nigras & quaſi aduſtas ejusdem hujus Inſecti vel haud abſimilis arroſione; illas quippe aggreditur eo tempore, quo in culmo adhuc demerſæ ſunt, ubi plus pabuli invenit quam in ſegetibus ipſis, quarum medulla culmi parcior eſt corticique adhæret. Fieri ergo poteſt, ut ſementum hac farina & latente in illa Inſectorum progenie inquinatum, terræ dum committitur, noxam lata vicinia diffundat. Si res ita ſe habeat, animal iſtud inter nocentiſſima & hanc ob cauſſam maxime notanda numerabitur. Minima ſæpe Inſecta graviſſimam inferunt perniciem.

Cerealia ſic arroſa & exuſta ſæpe inveniuntur. Vocatur iſta nigredo Arabice عين البنت *Ajn el bint;* id eſt: *Oculus puellæ;* quia iſte color oculorum, nativus vel pictus ſexum decet.

6. TENEBRIO ÆGYPTIUS; *apterus; thorace ſubrotundo, antice & pone truncato; elytris obſolete punctatis, ſtriis tribus elevatis, lævibus; dorſo planiuſculo.*

Kahiræ. Mediæ magnitudinis.

7. TENEBRIO LÆVIS; *apterus; nitens, thorace ſuborbiculato, marginato; elytris lævibus marginatis.*

Facies

Facies & magnitudo Carabi minoris. An Ten. caraboides? ſed elytra marginata, non carinata.

Alexandriæ ſub herbis.

8. TENEBRIO HISPIDUS; *apterus; totus ſupra ſetis hiſpidus: thorace teretiuſculo.*

DESCR. *Magnitudo* Carabi majoris. *Caput* ſuperne leviter hiſpidum, ut & *pedes*. *Antennæ* ſetis obſitæ, ferrugineſcentes, præſertim in apice: articulo ultimo reliquis multo minore & punctiformi. *Thorax* teretiuſculus, tuberculis ſetiferis magis hiſpidus, ante & pone truncatus, linea marginali longe infra dimidium. *Elytra* apice truncata, ſupra ſubtusque ſtriis plurimis tuberculatis, etiam ſub margine. Cuique tuberculo ſeta inſidet rigidiuſcula. Omnes ſetæ corporis ferruginei coloris. *Abdomen* villoſum.

Alexandriæ in hortis ſub ſarmentis aridis captus menſe Septembri: non frequens. *Kahiræ* copioſior.

Tenebr. 8, 9, 10 appellant Arab. vulgariter *Gomſiſj* vel *Chónfis*. خنفس ſed in *Yemen* vocantur *Fæzaz*.

9. TENEBRIO VULGARIS; *apterus; ater, elytris latere carinatis, ſingulis ſerie tuberculorum duplici: thorace planiuſculo, pone ſpinoſo, margine acuto.*

DESCR. Totus ater, exceptis apicibus antennarum ferrugineſcentibus. Magnitudine brevior pollice. *Elytra* pone dilatato-rotundata. *Thorax* fere planus, ante valde emarginatus, pone truncatus; lateribus rotundatus, dilatato-marginatus, margine acuto ſurgente: in quibusdam utrinque in ſpinam pone exeunte. In medio thoracis diſco lunula transverſa elata, cornibus antrorſum ſpectans. Forma ergo thoracis plana, obſtat quin ad *Tenebr. angulatum* referatur, quamvis in cæteris conveniat & loco natali communi.

Ubique in campo & hortis vagans.

10. TENEBRIO POLYCHRESTUS; *apterus; elytris mucronatis, ſingulis ſtriis novem elevatis.*

DESCR. Totus niger. Longitudo ſeſqui-pollicis. *Antennæ* caput thoracemque exæquant: articulis 4 ultimis lentiformibus, ferrugineis: reliquis lineari-clavatis, nigris. *Palpi* duo, longiores: articulo ultimo latiore, compreſſo, apice truncato, pallido. *Thorax* convexus, nitidus, ante & pone truncatus villisque ferrugineis ciliatus: lateribus linea elevata marginatus. *Elytra* ovata: ſubtus, ubi latera abdominis amplectuntur planata, linea elata ambiente: altera linea lateribus carinata. Huic carinæ & ſuturæ interjacent in quovis elytro 9. ſtriæ leviter elevatæ,

vatæ, pone concurrentes, infima obſoletiore. Interſtitia ſtriarum ſubrugoſa. Apice demum utrumque elytron depreſſo-planum exit in *mucronem* rectum, linearem, obtuſiuſculum, ſuperne teretem, transverſe-obſolete ſtriatum; verſus apicem puncto magno impreſſo: ſubtus planato-excavatum. Nonnulli mucrone inſtruuntur perbrevi. *Pedum* tibiæ & plantæ hamis geminatis terminantur. *Femora* exterius ſub-compreſſa; ſubtus planata, bicarinata. In unico tantum, non in reliquis, *Maculam* vidi pilis ferrugineis conſtantem in medio unius ſuturæ, ſub abdomine, poſt pedes.

An *Ten. mortiſagus?* quamvis noſtro longe minor, nec elytris, quantum mihi jam conſtat, ſtriis elevatis.

In hortis ubique inter quisquilias.

Obs. 1) Foeminæ Turcarum liberæ atque ſervientes albæ *artem ſaginandi* invenerunt in his Tenebrionibus; dum tres quovis mane & veſpere butyro coctos comedunt ſimul cum liquamine.

2) Contra *Aurium dolorem.* Tenebriones aliquot coque cum oleo puro: hujus 2. aut 3. guttulas auri infunde; promta medicina, vixque tribus vicibus repetita curat.

3) Contra *Morſum Scorpionis.* Tenebr. 4. vel 5. vivos, hoc enim palmarium eſt, in aquæ copia ſufficienti coque operte, ſpatio $\frac{1}{8}$. horæ. Sic decoctum obtinetur colore rubicundo & ſapore coffeæ. Scorpione læſus bibat ſcyphulam unam alteramve, vulnerique Tenebr. diſſectum imponat: præſentiſſimo auxilio dolor avertitur; qui his in oris intenſiſſimus eſſe ſolet per 24 horas, poſtea ſponte ceſſans; rariſſime enim morſus Scorpionis lethalis eſt.

11. TENEBRIO cothurnatus; *apterus, niger, thorace lævi, utrinque antice unidentato; elytris tuberculatis, ſtriis 2 elatis.*

Descr. Magnitudo Mortiſagi. *Statura* peculiaris: dorſo ſat gibbo, parte anteriore humili brevique. Hanc ob cauſſam, quum incedit pone multo altior apparet.

Kahiræ in deſertis frequens; in urbe repertus rarior.

12. TENEBRIO alexandrinus; *niger, thorace ſpina utrinque obtuſa, antice gibbo ſupra caput: coleopteris obtuſis, ſtriis quatuor aculeatis.*

An muricatus Linn.? Mortiſago multo minor.

In deſertis ruderatis *Alexandriæ*, verno tempore.

13. TENEBRIO spinosus; *apterus; niger, thorace teretiuſculo; elytris margine laterali ſerratis, ſingulis ſtriis tribus ſpinoſis, interjectis tuberculis acutis.*

In Deſertis *Kahirinis.* Ex majoribus.

GRYL-

GRYLLUS.

14. GRYLLUS viridis; *thorace depreſſo, ciliato, pedibus anticis ſpinoſis; elytro ſingulo macula flava.*

Descr. *Pedes* antici reliquis multo craſſiores eorumque femora carina antrorſum unica, aculeata: tibiæ carina antrorſum duplici, aculeata.

Alexandriæ in hortis.

15. GRYLLUS gregarius.

Descr. Facie & magnitudine prorſus convenit cum Gryllo migratorio: ſitne tamen ejusdem ſpeciei determinent alii. Vidimus illum maximo grege ſupra Kâhiram volitantem, d. 23. Dec. 1761. & in hortos plateasque frequenter decidentem. Characteri in Syſt. N. dato obſtant maculæ Elytrorum magis confluentes in faſcias transverſas curvas, & color non totas maxillas induens niger, ſed apice tantum, reliqua earum parte ejusdem cum capite coloris ferrugineo-lividi. *Antennæ* fuſcæ, longitudine capitis cum thorace. *Thorax* unico ſegmento conſtat: parte dimidia anteriore compreſſa ac multo arctiore, notata lineis 4. transverſis, impreſſis: prima, ſeu marginali remotiore, obſoletiore: *carina* longitudinali obſoletiore. Pars dimidia poſterior latior, ſupra baſin elytrorum dilatato-plana, punctis plurimis excavata; pone marginata, longitudinali media elata.

Obs. *Gryllum gregar.* Arabes ubique vocant *Djerâd* جيراد & *Judæi* in Yemen habitantes illum eſſe אַרְבֶּה aſſeverabant. Beduini Ægypti gryllos hujus ſpeciei, vivos torrent ſuper carbones; alis deinde pedibusque rejectis, avide conſumunt. In Arabia Felici inter Mochham & Táæs vidi foeminas pueroſque his aviculis venandis intentos, quas filo per thoracem deducto ſuſpendebant usque ad 100, & pretio ½. *Chomas* offerebant. Faſciculus totus aſſatur. Gryllo non ſolum pedes & alæ abripiuntur, ſed & inteſtina, quæ capite aliquantum protracto nudantur. Exſuccus certe cibus; innoxius tamen: niſi quod nimius ejus uſus ſegnem cauſſet ſanguinem vel temperamentum melancholicum, ut perhibent Arabes, illisque dicitur *Souda.* Ridiculam ceteroquin audivi apologiam hujus alimenti: Gryllus vegetabilia paſcitur pura, utilia, imo & medicatæ virtutis; fieri ergo non poteſt aliter, quin ipſe ſalubris totus evadat. Parum tamen conſumunt incolæ, ut numerum hujus infeſti gregis vel tantillum minuant. Simplici non minus quam inutili artificio illum volantem abigunt ex agro in agrum ope panni bacillo longo affixi. Tota examina quovis paſſu provocaui; tanta eorum copia his in locis jam erat. Dum agmine facto alte volabant, aer e longinquo fumi ſpeciem monſtrabat. Tranſeuntes Grylli ſuper verticem noſtrum ſono magnæ cataractæ fervebant. Ajunt Arabes Gryllum non depaſcere Cerealia matura & jam rigida; quod veritati conſentaneum inveni; *Zeæ majs* enim & *Holci durræ* folia, quæ ½. ulnæ longitudinem aſſequuta fuerunt, margine tantum ſubinde erant arroſa.

Turdus *ſeleuc.* *Natoliæ*, *Gryllivora*, æſtimandus certe propter hæc officia; quemque occidere vetuerunt Turcæ Edicto publico, vel ſolo Alcorani monitu; in quo libro nomen & famam habet. Virtus ad ſanctitatem evecta inde ad fabulam delapſa, ſtatuit avem hanc quotidie 10000. Gryllos occidere!

16. GRYLLUS monstrosus.

Descr. *Caput* cordatum; vertice conico, antice planiuſculo, tricarinato, apice bidentato. *Frons* in ſpinam inter oculos erigitur. *Oculi* flavicantes, lineis longitudinalibus fuſcis. *Antennæ* articulo infimo cylindrico, albido: ſecundo: ſphærico-fuſceſcente; reliqua earum parte fuſcæ, articulis numeroſiſſimis; teretes, ſubulatæ, verſus apicem filiformi-ſetaceæ. *Thorax* medio longitudinaliter convexus, craſſior, puncto utrinque impreſſo: ſed ante medium notatus angulo utrinque impreſſo: latera ambit membrana lata, rotundata, patens, rigida, ſerrata. *Pedes* antici multo craſſiores, ſpinoſi: cæteri tenuiores, ad apicem femorum membrana denticulata, rotundata inſtructi. Immaturum vel pullum hunc Gryllum haud crediderim, quum recurvationi abdominis ſemper impedimento eſſent *Alæ* & *Elytra*, jam rudimentis parvis conſpicua. Eorum quippe locum occupat abdomen ovatum, prorſus reflexum, atque propter talem ſuum ſitum, ſuperne imbricatum quintuplici ordine ſquamarum membranacearum: quarum duo ordines marginales patentes, ſimplices: reliqui tres ordines erecti, medius quoque erectus, ſed ſquamis fornicatis compoſitus. Omnes hæ ſquamæ proveniunt ex ſutura articulorum, quinque locis dilatata in membranulas: unde mira beſtioli hujus oritur figura.

Alexandriæ ad ſalinas porti veteris.

PHALÆNA.

17. PHALÆNA profuga; *noctua; ſpiri-linguis; lævis; alis deflexis, fuſco-viridibus, faſciis flavis: inferioribus rubris, maculis inæqualibus, nigris.*

Descr. Magnitudo *Phal. Cajæ.* *Caput* pallide flavum. *Oculi* magni, nigri, pupilla fuſca: puncta nigra 2 utrinque pone antennas: macula nigra in media fronte. *Lingua* ſpiralis, teſtacea, longitudine ſi extendatur, antennarum, ſita inter palpos flavos, utraque extremitate nigros. *Antennæ* ſetaceæ, alis dimidio breviores, cinereæ, ſubtus carina nigra. *Collare* albidum, margine undique fulvum, ſuperne maculis 2 nigris, triangularibus, inter quas rima protenditur. *Thorax* albidus, lineis 3 cuneiformibus, latis, nigris, longitudinalibus. *Pectus* cinereum, punctis utrinque 3 nigris. *Dorſum* læve, ferrugineum, punctis 7 nigris, ſolitariis in ſingulo ſegmento. *Abdomen* cinereum, triplici ſerie punctorum nigrorum in quovis ſegmento. *Pedes* cinerei: primum par

notatum

notatum ad baſin puncto nigro; tibiis extus nigro punctatis & pollice ferrugineo introrſum juxta baſin inſtructis: medii paris tibiæ extus nigro punctatæ, introrſum ſpina gemina in geniculo medio: paris poſtici tibiæ immaculatæ, ſpina gemina in medio gaudent. *Alæ* rotundatæ: *ſuperiores* ſubtus flavæ, maculis inæqualibus nigris, rubris albisque: ſuperiore diſco ſericeæ, obſcure-virides, margine inferiore pallide-flavo; faſciis 4 pallide-flavis: prima ad baſin obliqua, minima, marginem interiorem non attingens: ſecunda pone medium alæ obliqua, paululum ſpinoſa, latior, ante marginem interiorem deſinens: tertia ultra alæ medium obliqua, ſubſinuoſa, apice interiore confluens cum faſcia poſtrema, ibique *denticulos* emittens tres, unum ſurſum ſpectantem, duos deorſum. Inter faſcias obliquas ad marginem exteriorem *lineola* albida, obliqua, introrſum terminata lineola nigra. Faſcia quarta transverſalis, recta, anguſtior, flava, ad angulum alæ poſticum internum dilatata ibique, margini propius maculis 4 ſubrotundis, fuſcis notata; quibus alia major, nigra imminet. Extrorſum juxta maculas marginales lineola longitudinalis, nigra: inter hanc & marginem alæ exteriorem ſtriæ 5 impreſſæ, ejusdem longitudinis. *Alæ inferiores* plicatæ, ſubſericeæ, rubræ, margine poſtico pallidiore, maculis 4 nigris, inæqualibus; quarum prima ovata, in medio fere alæ: reliquæ tres ad marginem poſticum ſitæ; intima puncto grandiore non major: media quadrangularis: tertia maxima, duabus appendicibus truncatis pone aucta. Alæ ſubtus ferrugineæ, macula punctisque nigris.

In *Archipelago* prope Inſulam Meteline excepta in navi.

CYNIPS.

18. CYNIPS; SYCOMORI, APTERA.

DESCR. Longitudo lineæ: craſſities fili tenuioris. *Corpus* depreſſum: ſtatura ſæpius incurva. Totum animal 4 articulis ſubæqualibus conſtat: *Capite*, cui *antennæ* breves inſident: *Thorace:* tertia parte conſtante tribus paribus *Pedum & ſcutello* ſupra, antice. Ultimus articulus baſi dilatatus utrinque *aculeum* emittit, inque medio terminatur apice: intus transparent venæ duæ undulatæ, in cæteris partibus non adeo manifeſtæ. *Pedes* ferruginei, pellucentes, remoti fere omnes poſt mediam corporis zonam.

OBS. *Ab Alata C.* quam deſcripſit *Haſſelquiſt*, hæc aptera differt corpore longiore, & aculeo poſtice utrinque uno, transverſo, reflexo; an vero hæc nota ſpeciei vel tantum ſexus ſit, incertus hæreo.

Excluditur in Sycomori foeminei germine ſingulo, quod inde, quaſi foecundatum tumeſcit. (vide plura Plantar. Centur. VI. 100.)

VESPA.

19. VESPA QUADRIPUNCTATA; *capite thoraceque ferrugineo; fronte flava; abdominis faſcia duplici flava, poſteriore latiore, quadripunctata.*

DESCR. *Magnitudo* Veſpæ vulg. *Caput* villoſum. *Oculi* nigri: inter illos triangulum obverſum, flavum. In vertice *tria puncta* elata, nigro-nitida, oculi-formia & in modum trianguli diſpoſita. *Maxillæ* prominentes, tridentatæ, ferrugineæ, margine nigræ infra *Labium*, quod emarginatum, ſubrotundum, flavum. *Antennæ* flavo-ferrugineæ, verſicolores, longitudine fere thoracis. *Thorax* villoſus, ferrugineus, immaculatus, cujus coloris quoque ſunt *Pedes*. *Abdomen* ovatum, fuſcum: ſegmenti *primi* margo poſticus ſupra flavus: *ſecundum* fuſcum, latum: *tertium* undique flavum, ſuperne punctis duobus nigris, totidemque ſubtus: *quartum* ſupra flavum, punctis 2 nigris, ſubtus fuſcum; reliqua duo tota fuſca.

Kahiræ frequens.

FORMICA.

20. FORMICA SALOMONIS; (*Linn.*) *capite ferrugineo; thorace compreſſo; pedibus fuſco-ferrugineis; abdomine villoſo nigro. Inter thoracem & abdomen binodoſa.*

Formicis vulgaribus noſtris perſimilis, ſed major. Cuniculos ſub terra agit. *Alexandriæ* non infrequens.

21. FORMICA EDAX; *capite abdomineque fuſco; thorace teſtaceo, pone bidentato.*

DESCR. Inter minimas eſt. *Corpus* villoſum. *Antennæ* & *Pedes* toti teſtacei. *Caput* ſubtus rufeſcens. Inter thoracem & abdomen *nodi* duo teſtacei. *Thorax* pone ſpinis duabus, nudo oculo non conſpicuis.

OBS. 1) A *Brownii* & *Linn.* non aliter differt hæc noſtra, quam capite ſuperne fuſco; nam cæteris notis & moleſta in ædibus præſentia convenit, ſæpius inſecta muſei noſtri devaſtans, donec Camphoræ antidoto avertebatur.

2) Hujus ſpeciei vidi plures capite & abdomine ſubæquali. Inter has rarius incedebat una alteraque, ſtructura quidem cæteris ſimilis, ſed duplo grandior, capite fuſco-rufeſcente & abdomine ſeſquimajore. An varietate vel ſexu ut mariti & foeminæ ſe diſtinguunt a minoribus operariis & neutris?

22. FORMICA MALIGNA; *parva, nigra, uniſquamoſa:* Arab. *Kâamûs.*

Venenata, pungens dolore ut ex ſcorpionum morſu: qui levatur affuſo Baſilici recentis ſucco.

23. FORMICA

23. a) FORMICA animosa; *rubra.* Arab. *Káas.*

Minor quam F. 22. Habitat in ligno. Oeconomis grata ob utile odium quo perſequitur Formicas Dharr, *Phoenicem dactyliferam* exitioſe infeſtantes. Ad hanc militiam conducitur acervatim *Heml* (onus Cameli) imperiali pretio.

23. b) insultans; *nigra.* Cum rubra bellum gerit continuum; ſed virtute inferior.

TABANUS.

24. TABANUS testaceus; *oculis albidis, margine & linea transverſa fuſco-vireſcente; dorſo teſtaceo, lineis duobus nigris.*

Descr. *Oculi* punctati, punctis impreſſis. *Roſtrum* nigrum. *Antennæ* teſtaceæ, apice fuſcæ. *Pectus* & *Frons* alba, villoſa. *Thorax* lineis aliquot fuſcis obſcurus. *Abdomen* teſtaceum. *Pedum* tibiæ & plantæ teſtaceæ: femora fuſca.

Ubique, equis infeſtus. Arab. *Tajaq.*

CULEX.

25. CULEX molestus; *antennis piiis verticillatis; roſtro cinereo, apice nigro, craſſiuſculo; dorſo fuſco, faſciis ſex pallidis.*

Descr. *Magnitudo* & facies *Culicis vulg. pipientis. Oculi* vireſcentes, globulis numeroſiſſimis conſtantes. *Frons* fuſca ut & *Thorax. Roſtrum* ſubclavatum, ſive craſſius verſus apicem & nigrum; inferiore parte cinereum. *Antennæ* ſetaceæ, roſtro paulo breviores, pilorum majorum verticillis patentibus, circiter 13, ut mihi videbantur, ad baſin ſinguli articuli. Nudo quidem oculo cernuntur, ſed ægre; at illis interjecti pili denſi, erecti, parvi; microſcopio intuendi erunt. *Pectus* & Abdomen cinereo-albidum. *Dorſum* fuſcum, ſuturis articulorum 6. vel 7. pallidis. Totum Corpus & *Pedes* piloſi: femora cinerea: tibiæ fuſcæ. *Alæ* fuſcæ, margine poſtico ciliatæ. *Halteres* cinerei, clava fuſca.

Roſettæ, Kahiræ & Alexandriæ immenſa copia, nocte incommodus dormientibus & vix arcendus niſi cortina bene clauſa.

ARANEA.

26. ARANEA sector; *abdomine ovato, circumcirca octodentato. Tela diametris ſecta.* Rete conſtruit horizontale, intertextum radiis quatuor undulatis, ad angulum rectum, ſeu cruciatim poſitis.

Reperta prope montem *Meihán* in *Yemen.*

27. ARANEA citricola; *Abdomine ovato, utrinque bidentato, ano biſido.*

Kahiræ in arboribus Citri, retia pandens horizontalia vario ordine pertexta.

28. ARANEA rivulata; *abdomine oblongo cylindrico, fuſco; dorſo & ventre in media parte bruneo-dentatis: lateribus albo-rivulatis.*

Descr. Inter minores. *Thorax* vitreus, orbiculatus, medio impreſſus. *Pedes* ſubnudi: antici corpore quintuplo longiores. *Texturam* horizontalem ſtruit, ſine ſerierum ordine.

Kahiræ in ædibus frequens.

29. ARANEA insidiatrix; *abdomine ovato, fuſco-ſericeo; pectore depreſſo, glauco, linea marginali & triangulo pone oculos fuſcis. Tela laqueata.*

Descr. Mediæ magnitudinis. *Oculi* argenteo colore lucent. *Abdomen* nitens. *Thorax* fuſcior. *Maculæ* duæ flavæ ſub abdomine juxta thoracem. *Pedes* fere glauci, ſine pilis: longiſſimi: antici corpore ſeſquilongiores.

In *Ægypto* frequens parietum foramina veſtit tela cylindrica, in cujus fundo deliteſcit. Tubulum vero hunc extus undique ambit rete radiante, & muſcam errore implicitam, in foveam abſtrahit ſuam.

30. ARANEA trifasciata; *abdominis dorſo ovato, albido, lineis transverſis nigris novem, faſciis latis niveo-ſericeis tribus.*

Descr. Inter majores. *Maxillæ* atræ, nitidæ, interiore latere albidæ. *Palpi* longitudine thoracis, filiformes, flavicantes, articulis 3, primo glabro, reliquis ſetarum vellere hiſpidis. *Oculi* in formam gemini trianguli eidem baſi inſiſtentis; ita ut quatuor oculi inferiore linea numerentur, duo in ſuperiore. *Thorax* abdomine triplo brevior, cordato-truncatus, ſuperne ſericeo-albus, ſublucente colore nigro: ſubtus niger, medio flavus. *Pedes* antici toto corpore ſeſquilongiores: omnes hiſpidi ſetis: nigri, annulis flavis, extimo articulo ſubulato, fere toto nigro. *Abdomen* dimidii pollicis longitudine, ovatum: *ſupra* lineis transverſis nigris 9. diviſum quaſi in 10. ſegmenta, pleraque albida, luteſcentia, lineolis fuſcis obſolete reticulata, glabra; exceptis primo, tertio & quinto, quæ pilis appreſſis nivea ac ſerici inſtar nitidiſſima apparent. Segmentum 7. ejusdem coloris tantillum in medio dorſo habet. Segmentum primum duplo longius, variis punctis impreſſis ſignatur. In medio ſegmenti 2. 3. & 5. punctulum nigrum; in margine poſtico ſegmenti 1. & 3. duo puncta impreſſa majora. Dorſi parte ulteriore 5. lineæ fuſcæ longitudinales apparent, quarum mediæ tres ſupra anum con-

concurrunt, extimæ vero baſi incurvantur. *Subtus* medium abdomen macula bi-articulata, atra notatur, quatuor punctis argenteis aſperſa: ante illam locus genitalium tuberculo in diſco nigro diſtinguitur (foemellam enim deſcribimus); poſt maculam anus eſt orbicularis, ferrugineus, multivalvis, fila emittens. Hæc omnia linea flava circumit, extra quam latera abdominis nigra nebulis mixta cinereis.

Kahiræ in horto capta initio Decbr. inſidens reti verticali.

SCOLOPENDRA.

31. SCOLOPENDRA ADHÆRENS; *flava.* Arab. *Om arba u arbaejn.* ام اربع واربعين

Spithamæ longitudine, flava; *Kahiræ* non admodum copioſa, æſtatis tempore ferventiſſimo. Morſu lædit haud lethali, ſed multum urente; minus tamen quam ex ictu Scorpionis. Omnibus pedibus carnem perforat, non avellenda. Ergo ignito ferro caput Scolopendræ leviter tangitur, quod mox elevat; & ſic per omnia membra continuando, tandem avellitur.

32. LARVA GENERIS INDETERMINATI.

DESCR. Longitudo lineæ: craſſities fili tenuiſſimi: color vitreus, pellucidus. *A dorſo* ſi inſpicitur, articuli ſex ventricoſi numerantur. *Primus* capite conſtat, cornibus, an pedibus? 4, articulatis, ſetaceis, punctatisque 2. fuſcis oculi-formibus. Pone caput ſubtus duo pedes breviores cornibus iſtis, articulati, ſetacei pilis exiguis. *Alteri* articulo pedes duo adhærent paulo longiores, craſſiores, vix piloſi. Articuli 3. & 4. nudi. *Quintus* geſtat pedum par; quod facilius cernitur reſupinato animalculo. Articulo *ſexto* duo paria pedum affiguntur, articulatorum, unguiculatorum & retrorſum majorum. Subtus articulus apparet quaſi in duos minores diviſus, cui ſingulo pedum par annectitur. In medio dorſo tranſeunt velut cylindri duo flaveſcentes. Subtus inſpectum animal monſtrat *palpos* varios, breves ſub capite; & binas *lamellas* ſubovatas, membranaceas, articulo 3. & 4. adnatas.

In *Archipelago* inter Tubularias ſimplices capta.

CANCER.

A) BRACHYURI.

33. CANCER SARATAN; *brachyurus; thorace lævi, integerrimo, ſubquadrato, margine carinato; chelis verrucoſis, margine carinato-ſerratis.*

DESCR.

Descr. *Color* flavido-rubens, ut cancri ſemicocti. *Oculi* elliptici, interque eos ſuperne mucro obtuſus eminens. *Thorax* ſubquadratus, punctis convexis plenus, pollicaris, margine ſupra acutus, & carina laterali pone oblique deſcendente. Pars antica multum carinata, repanda & inter oculos in frontem obtuſam porrecta. *Chelæ* depreſſæ, ſubpiloſæ, verrucoſæ, margine & forfice ſerratæ. Dextra minor erat in unico hujus ſpeciei quem vidi; incertum igitur, an nota conſtans, vel caſus fortuitus. *Carpi* rhomboidaliter convexi verrucoſi, introrſum & baſi exteriore ſerrati. *Femora* ſupra carpos triquetra, angulis inferioribus ſerratis. Reliquorum pedum femora compreſſo-triquetra. *Digiti* ſubulati, ſine pollice. *Cauda* inflexa, lineari-lanceolata.

Obs. Corporis quidem figura, cæteris vero notis non accedit ad Cancrum *Rumph. muſ.* tab. 10. fig. E.

Suës ad littora defluente aqua ludit in ſuperficie maris; adveniente homine mox aufugit in cryptas. Arab. *Saratân.*

34. CANCER convexus; *brachyurus thorace transverſo, ovali, concave punctato utroque latere; lævi, integerrimo; pone dimidium impreſſione laterali obliqua ſuperne.*

Obs. Thorax noſtri non tam ſinuoſus ut *Rumph. Muſ.* Tab: 6. fig. N. licet cæteroquin ſimilis. *Lobajæ.*

35. CANCER messor; *brachyurus, thorace rectangulo, lævi; ſpinula utrinque pone oculum; manuum chelis ſub-inermibus, carpis & femoribus introrſum ſerratis.*

Descr. *Color* obſcure-cinereus, nigro-nebuloſus. *Thorax* pollicaris, ſubrectangulus, pone paulo anguſtior, planiuſculus, rugis acutis, obliquis. *Chelæ* obſcure-violaceæ: ſubtus oblique rugoſæ & introrſum vix tuberculoſæ. *Pollex* utroque margine tuberculoſus. *Femora* omnia transverſe rugoſa.

Ad pontem urbis *Suës* frequens inter lapides. Refluente aqua prodit; viride maris ſedimentum ſaxis adhærens chelis alternatim decerpit & edit.

36. CANCER pinnotheres; *brachyurus; glaberrimus, thorace lævi, lateribus antice planato; caudæ carina media lata, obtuſe-convexa; flaveſcentibus manibus.*

Descr. Ovo columbæ minor, ſubgloboſus, griſeus, glaberrimus, molliuſculus. *Antennæ* breves, ſetaceæ. *Thorax* fere hemiſphæricus: latera antice planata. *Manus* cheliferæ, inermes, flaveſcentes, parum curvatæ. *Oculi* globoſi, ori proximi. *Cauda* orbiculata, pari cum

corpore

corpore latitudine, reflexa ut in congeneribus; medio obtuſe nodoſo-carinata. *Pedes* ſine chelis.

Smirnæ & *Conſtantinopoli* in omnibus fere Pinnis nidificans.

Obs. A *pinnothere Linn.* differt, quod manus parum incurvæ ſunt, nec punctis tribus lateralibus gaudet.

36. b) *Lohajæ* vidi *Cancrum cuſtodem* in *Pinna ſaccata* habitantem, huic ſimilem ſtatura, ſed colore ſupra fuſco-cæruleſcente: & chelarum pollice digitisque ſubtus hiſpidis ſetis ſerici inſtar. Sit-ne ſpecie a noſtra diverſa, non judicaverim. (cnfr. infr. 56.)

37. CANCER pelagicus. Arab. *Abu djalámbu* vel *Abu mochas*.

Sués frequens. Eſca incolarum delicioſa, vel coctus, vel aſſatus butyro & cepa.

38. CANCER antennatus; *brachyurus, thorace ſubovato, antennis triplo longioribus; chelis cunei-formibus.*

Descr. Ungue brevior: cinereus, nebulis nigris. *Antennæ* ſetaceæ, rufeſcentes, thorace triplo longiores: rarus in brachyuris character. *Frons* obtuſa, repanda. *Oculi* breves, obtuſi. *Thorax* planiuſculus, ovatus, baſi truncatus. *Chelæ* compreſſæ, inermes, ſubtus rubentes punctis obſcurioribus; pedes reliqui ſine chelis. *Carpi* femoribus longiores, introrſum bidentati. *Cauda* ovata, inflexa, thoracis latitudine, utrinque ciliato-dentata.

Sués, habitans in foraminibus *Spongiæ Offic. violaceæ*. Quotquot vidi foemellæ erant.

39. CANCER cubicus; *brachyurus; thorace aculeato, ſub-cubico, aculeis antrorſum majoribus multisque; manibus hiſpidis, craſſis.*

Descr. *Oculi* pedicellati. *Thorax* pilis hirtus, antice præſertim. *Manus* duplo craſſiores reliquis pedibus, ſpinoſæ & valde piloſæ. *Chela* introrſum compreſſa & piloſa; ſubtus ſpinoſa. *Digiti* adeo compreſſi, incurvi, margine interno acuto, nigro. *Pollex* ad baſin unico denticulo obtuſiuſculo. *Femora* omnium pedum ſpinifera margine ſuperiore. *Tibiæ* & tali paris pedum 2, 3, 4 & 5 compreſſi, margineque inferiore ciliato-ſpinoſi.

Maſſiliæ.

40. CANCER niger; *brachyurus; thorace lævi, utroque latere pone oculos tuberculis, quinque.*

Descr. *Color* niger. *Frons* inter oculos fere recta, ſulco marginata. *Thorax* latitudine digiti, ſed duplo brevior: planiuſculus, antice rotundatus, pone truncato-triangularis: denticulis obtuſis quinque pone oculos, rugis lateralibus plenis: poſtica thoracis pars acuta. *Chelæ* teretiuſculæ, inermes: manus & pollices apice obtuſi, intus excavati cochlearis inſtar. Dextræ manus & pollices intus in forfice unidentati; ſiniſtræ ſæpe inermes, aut parvulo dente. *Carpi* introrſum denticulo uno, ut & *Femora* primi paris.

Djiddæ inter corallia ramoſa.

41. CANCER serratus; *brachyurus, thorace lævi, ſemi-orbiculato, utrinque novem-dentato, fronte ſexdentata.*

Descr. *Oculi* globoſi, pedicello latiores: dens latus exit e fronte ſub quovis oculo. *Antennæ* ſetaceæ, nigræ, vix pollicares. *Color* animalis cinereo-fuſcus, ſubtus albidus. *Thorax* convexiuſculus, antrorſum rotundato-ſerratus, latitudine trium poll. longitudine duorum. *Serraturæ* pone oculos utrinque 9, inter oculos ſex. *Pedes* ab utroque latere 5: *tria paria media* femoribus glabris, compreſſiuſculis: tibiis & plantis utroque margine hirſutis, pollice nullo. *Poſtici* binis articulis ultimis membranaceis, ovatis, ciliatis. *Chelas* non vidi.

Djiddæ in Mari rubro.

42. CANCER bidentatus; *brachyurus; thorace lævi, utrinque bidentato, ſemiorbiculato, chelis glabris: femoribus anticis introrſum ſerratis.*

Descr. Inter parvos eſt. *Color* rubro-flaveſcens. *Oculi* obovati. *Palpi* medii porrecti, breves, primum ſubclavati, ſupra clavam bilobi, lobo utroque ſubulato, ſuperiore duplo majori. *Thorax* ungue minor, depreſſus, glaber, antice obtuſus, repandus, pone rotundatus. *Dentes* duo ab utroque latere; poſt oculos unus, alter medio thoracis. *Chelæ* oblongæ, compreſſiuſculæ, glabræ, thorace longiores. *Carpi* ad baſin denticulati. *Femora* manuum extrorſum teretia: introrſum acute-carinata, ſerrata. *Pedes* cæteri pollice nullo.

Suës; inter conchylia recenter expiſcata inventus.

43. CANCER tridentatus; *brachyurus; thorace ſubrotundo, parum inæquali, utroque latere tridentato.*

Descr. *Color* cinereus, nebulis obſcurioribus. *Frons* obtuſa, repanda. *Oculi* parvi. *Antennæ* ſetaceæ, breves. *Thorax* longitndine ſeminis oryzæ: oblongior, planiuſculus, inæqualis, utroque latere tribus denticulis, contiguis. *Chelæ* inermes, glabræ, obovatæ. *Carpi* ſemigloboſi, intror-

introrſum unidentati. *Femora* primora pariter unidentata interiore latere. *Pedum* reliquorum *Ungues* ſine pollice. *Cauda* ovalis, thorace anguſtior.

Sués in Spongia violacea, rarus.

44. CANCER LUNARIS; *brachyurus; thorace lævi, utrinque medio latere unispinoſo; frontis lobis tribus, medio marginato.*

DESCR. *Color* cinereus, punctis violaceis, ſubtus albidus. *Oculorum* pedicelli teretes, attenuati, albidi, ſuperne punctis violaceis. *Thorax* ſubrotundus, depreſſiuſculus: poſt ſpinas laterales carinatus margine; ante ſpinas tuberculis utrinque 3. majoribus in margine: fronti propius exſtant tubercula parva, marginalia, utrinque ſex: pone oculos angulus prominet. *Chelæ* margine & extus ſpinoſæ, ſubtus albæ, ſuperne violaceo-punctatæ. *Pollex* extrorſum carina longitudinali, planiuſcula, transverſe ſerrata. *Pedum* reliquorum omnium plantæ & carpi flavi, compreſſo-dilatati, (ſic enim commodius remigat animal) tibiæ ſubtus ſpinoſæ: omnes pedes ſuperne punctis violaceis. *Cauda* inſtruitur carina transverſa, acuta, ſerrata, pone ad baſin.

Lohajæ in Mari rubro. *Rumphio* in Mari Indico. cfr. Muſ. Amb. Tab. VII. fig. 5. *Cancer lunaris.*

45. CANCER SEGNIS; *brachyurus; thorace lævi, utroque latere novem-dentato; fronte quatuor-dentata.*

DESCR. Transverſe-ovalis: latitudine ſpithamæ, ſed longitudine inferior. *Color* ſuperne obſcure-viridis, nebuloſus; ſubtus albidus. *Antennæ* ſetaceæ, nigræ, breves. In *Fronte* ſpinæ 4. inter oculos erectæ, obtuſiuſculæ: ſub quovis oculo una validior. *Oculorum* pedicelli teretes, virides: oculi hemiſphærici, nitentes, obſcure-rubri, maculis albis: profunde inſerti. *Chelæ* viridi-cæruleæ, apice albæ: in forficis latere interiore una ſeries callorum in ſingulo digito; in chela ſuperne poſt baſin pollicis ſpinæ duæ, contiguæ, antrorſum ſpectantes: ad baſin juxta carpum ſuperne ſpina valida, conica, cærulea, apice ferruginea. Præterea nullæ in chelis ſpinæ; ſed duæ in carpis extrorſum: una introrſum, longior, fortior. *Femora* depreſſa, ob-cuneata. *Secundum & tertium par pedum* ſubteres, verſus apicem compreſſum, pollice nullo, læve, digito ſubulato. *Quartum par* longe craſſius, articulis duobus poſtremis compreſſiſſimis, membranaceis, dilatatis, ovatis, margine ciliatis. *Cauda* lata, albida, fuſco-rivulata.

In *Mari rubro.* Tarde procedit in aqua.

46. CANCER INCANUS; *brachyurus; totus hirſutus, cinereus, chelis ſubtus albis, apice nudis, forcipe fuſca.*

DESCR. Oblongior: cum pedibus latitudine ſeſquipollicari. *Frons* inermis. *Thoracis* latera utrinque tridentata: ſed tactu potius exploranda quam viſu, ob pilos confertiſſimos, quibus etiam *pedes* circumveſtiuntur.

Djiddæ, inter Corallia.

47. CANCER PELLITUS; *brachyurus; thorace hirto, inæquali, utrinque quinque-dentato: fronte obtuſe dentata: plantis poſticis membranaceis, ovatis, ciliatis.*

Rumph. muſ. Tab. 6. fig. O. *Gall. Crable velouté. Maſſiliæ.*

DESCR. Totus obſcure-teſtaceus. *Frons* in medio obtuſe tridentata, & inſuper dente minori juxta oculos. *Thorax* oblongus, depreſſus, rugis transverſo-obliquis tuberibusque inæqualis; poſt oculos utrinque ſerratus dentibus 5. contiguis. *Chelæ* extus quinquangulatæ: digiti introrſum dentati tuberculis obtuſis. *Carpus* forti ſpina armatur. *Pedes* quinti paris toti compreſſi, maxime articuli duo ultimi, pilis denſe ciliati: planta ovato-lanceolata, ſulco utrinque medio elato, glabro, longitudinali.

47. b) *Conſtantinopoli Varietatem* vidi hujus Cancri, minorem multo, glabram, fronte aliis prorſus obtuſa & truncata, aliis acute-dentata: chelis ſæpe quinquangulatis, interdum vix angulatis, niſi ab utroque margine.

48. CANCER CORNUTUS. (*Linn. Syſt. N.* 29.) An Gallorum *Renaiſe de la mer? Maſſiliæ.*

DESCR. *Thorax* ovatus, tuberculoſus, margine valde ſpinoſus. Tuberculi penicillos pilorum incurvos geſtant. *Manus* glabræ. *Chelæ* carpo anguſtiores, digitis rectis, teretibus. Reliqui pedes 8. exſerti, hiſpidi pilis longis, denſis.

49. CANCER SULCATUS; *brachyurus; thorace globoſo, antica & ſupina parte atque lateribus ſulcis labyrinthi-formibus, obliquis.*

DESCR. Obſcure rubens. Nuce avellana duplo minor. *Oculi* longo pedicello filiformi, apice obtuſi, nigri. *Antennæ* breves, ſubulatæ. *Thorax* ſubgloboſus, variis ſulcis obliquis forma labyrinthi flexis & in ſe redeuntibus, præſertim in antica parte, ſeu pectore. *Chelæ* manuum ovatæ, glabræ, inermes, æquales. *Ungues* cæterorum pedum ſimplices, ſine pollice.

Suês in brevibus ſabuloſis, aqua relapſa, innumera grege vagatur: at periculo minante in cuniculos ſe recipit.

49. *)

49. *) CANCER VERRUCOSUS; *brachyurus; thorace lævi, utrinque 6-dentato; fronte multi-dentata; manibus verrucoſis, apice nigris.*

DESCR. *Os* latum. *Chela* dextra glabra & ſæpe major. *Manuum* apices nigri. *Carpi* quoque verrucoſi. In reliquis pedibus carina femorum ſuperior & tibiæ ac tali pilis hiſpidi. Ad *Thoracis* latera utrinque 6. *dentes* validi poſt oculos. Inter oculos antice dentes minores plurimi, ſerie varia

Conſtantinop. Gr. Παγȣ̃ρι. Turc. *Pavuri.* In multis convenit cum *Paguro* (*Linn.* 18.). Vivus vaſculo immiſſus, fortem ſonitum edit, bullasque aereas ex ore emittit.

B) MACROURI.

50. CANCER SCÆVOLA; *macrourus; paraſiticus; chelis muricatis, ſiniſtra majore, albida latere interiore barbata; oculis oblique cuneatis, pedicellis compreſſis.*

Djiddæ inter corallia.

51. CANCER AMBIDEXTER; *macrourus; paraſiticus; cauda ſetacea, aphylla: manu utraque æquali.* Arab. *Komikom.* خمخم

Djiddæ inter corallia. In *Archipelago* frequens ad littora, cochleas vacuas inhabitans.

52. CANCER LAGOPODES; *macrourus; cinereo-fuſcus, pedibus hirſuto-hiſpidis; chela ſiniſtra majori.*

DESCR. *Oculi* terminales, nigri, hemiſphærici, ſuperne ſinu pone emarginati: pedicelli teretes, pallide-cinerei, extrorſum paulo craſſiores. *Antennæ* flavæ. *Thorax* pollicari major, lituris venisque cæruleſcentibus, albo-punctatis. *Pedes* hirſutie ſetoſa hiſpidi. *Chelæ* ſetoſæ, apice flaveſcentes; tuberculatæ & albæ in junctura forficis.

In *Mari rubro* parcius hoſpitans in cochleis, ſtrombo gallo, murice colo, aliisque.

53. CANCER TINCTOR; *macrourus; paraſiticus; chelis muricatis, ſiniſtra majore, rufeſcente, forfice interius tuberculato, violaceo.*

DESCR. *Oculi* ſemigloboſi, craſſiuſculi, obſcure virides, ſuperne pone emarginati ſinu veſtito pilis ſetiformibus parcis. *Pedicelli* ſemipollicares, teretes, ſubtus & ſupra paulo planiores, albidi, annulo fuſco-rubente in medio, verſus apicem ſuperne perpendiculariter obverſo, fuſco-rubente. *Antennæ* cinereæ, ſetaceæ, thorace-longiores, articulo primo magno,

 globoſo,

globoſo, ſetis hiſpido: ſecundo anguſtiore, lævi, compreſſo lanceolato-truncato. *Thorax* una cum cauda longitudine tripollicari baſi mollis; ſed exuerat forſitan ſenectam. *Chela ſiniſtra* longe major: dimidio ſuperiore tuberculata, inferiore lævis; margine extimo carinato-crenata, interiori ſpinoſa, maculaque aureo-virenti ad baſin notata. *Pollex* tuberculis violaceis plenus extus: introrſum tota junctura forficis, planata, lata, tuberculata, violacea. *Brachium* & *carpi* ſubtrigoni, marginibus dentati, ſuperne obſolete aureo-virentes. *Chela dextra* longe minor, lanceolata, ſetoſa. Secundi & tertii paris *Pedum* apices vel tali ſubulati, hiſpidiſſimi. Quartum par chelis parvis: quintum apice ſimplici. *Cauda* mollis.

In *Mari rubro* procul a littore. Unicum vidi, repertum a Socio itineris NIEBUHR in *Strombo gallo* latitantem.

54. CANCER SQUILLA. Arab. *Bargut*; i. e. *Pulex*. *Alexandriæ*. Cauda & corpore glauco, punctis ferrugineis.

54. b) *Varietas* faſciis transverſis, fuſcis. Ad inſulam *Imros*. Arab. *Õnſul*.

55. CANCER SUBLUCANUS; *macrourus; incarnatus, dorſo nigro, thorace compreſſo, antice ſpina oculis longiore. Djiddæ.*

DESCR. Seſquipollicis longitudine: compreſſiuſculus totus. *Antennæ* nigræ, corpore breviores. *Scuta* thoracis & corporis ſubtus conniventia, latera pectoris & caudæ tegentia. *Chelæ* ovato-oblongæ, compreſſiuſculæ, dorſo nigræ, lateribus fuſco-punctatæ: apice ſetis appreſſis. *Dextra* major. *Cauda* ſupra nigro-fuſca, ciliis flavicantibus.

55. b) VARIAT: lineis albis interruptis, longitudinalibus poſt thoracem, dorſo lucidiore: corpore minore præcedente.

56. CANCER CUSTOS; *macrourus; thorace lævi, roſtro integerrimo; corpore pellucido, flavicante, albo punctato.*

DESCR. Seſquipollicaris: totus glaber, lævis, pellucidus, flavicans, albo-punctatus. *Frontis* roſtrum porrectum conicum, thorace triplo brevius, integerrimum. *Oculi* albicantes, pedicello tereti. *Antennæ* ſetaceæ, corpore breviores. *Femora* glabra, inermia. *Chelæ* æquales, unguis longitudine, cylindricæ, tenues. *Pollex* uncinatus, digito paulo longior, chelæ cylindro triplo brevior.

Lohajæ intra Pinnas nigras: in Saccatis raro. (vid. ſupra Cancr. 36.)

57. CANCER ACANTHURUS; *macrourus; flavicans, thorace apice utrinque carinato; cauda medio latiore, ſcutis utrinque ſeta auctis. Djiddæ.*

DESCR.

DESCR. Vix pollicem æquat. *Antennæ* & *pedes* poſteriores pallidi. *Thorax* antrorſum attenuatus, verſus apicem ſuperne utrinque carina erecta, ciliata marginatus. *Chelæ* æquales, piloſæ. *Cauda* ovato-oblonga, planiuſcula, thorace latior; vena media, fuſca, perlucente.

58. CANCER KERATHURUS; *macrourus; roſtro enſato, ſuperne ſerrato, ſubtus unidentato; thorace ſupra canalibus tribus.*

DESCR. Longitudo fere ſpithamæ; digito craſſior. *Antennæ* corpore ſeſquilongiores. *Chelæ* parvæ. *Color* corporis glaucus, punctis ferrugineis: *Cauda* rubra, apice cæruleo. *Cornu* ſubtus unidentatum, teres, nonalatum. In dorſo *Thoracis* tres canales, quorum medius terminatur in baſi cornu. Ad latera utrinque ſulcus ſurſum tendens, obliquus. His notis ſufficienter diſtinguitur a *Squilla*, cui cæteroquin quoad figuram ſimilis eſt.

Smirnæ & *Alexandriæ*.

59. CANCER SEDENTARIUS; *macrourus; articularis; manibus adactylis.*

DESCR. *Color* vitreus, flaveſcens. *Caput* fere conicum, perpendiculare, ante paululum planatum, juxta verticem emarginatum. Ori utrinque ſphærula oculiformis adjacet; ſupra quamque harum, cylinder perpendicularis erigitur, *oculum* referens; ſint-ne ergo huic animali duo oculorum paria, affirmare non ſuſtineo. *Antennæ* ſetaceæ longitudine cylindrorum, lateri eorum anteriori affixæ. *Thorax* ovato-lanceolatus, ſeptem-articulatus. *Cauda* lineari-attenuata, compreſſa, antice articulis 3. rotundatis, pone truncatis, utrinque uniſpinoſis. Articuli duo anguſtiores apicem caudæ conſtituunt, cui inſiſtunt ſpinæ ſex, vel ſetæ lineares, apice bifidæ, acutæ. *Pedes* utrinque *decem:* paria enim ſeptem, thoracis ſeptem articulis adhærent; omnia adactyla, præter *quinti* ordinis par, cæteris multo craſſius, longius, *femoribus* compreſſis, apice uni-ſpinoſis, carpis clavatis, chelis obovatis, ventricoſis; digitis adeo curvatis, forficatis, introrſum dente inſtructis. Priora 4. paria *plantis* gaudent ſetaceis, curvatis & longitudine ſuperantibus plantas *poſteriorum* pedum thoracicorum, quorum paria retrorſum majora majoraque: & *membrana* ſubtus acuta utrinque triplici, ovata, natatoria. Articulis Caudæ tribus, totidem pedum paria, verſus apicem caudæ gradatim minora affiguntur, brevia, femoribus obovatis, membranaceis; tibiis recurvatis, concavis.

In *Mari mediterraneo.* Mirum in ſuo genere Animal Oculorum forma, & Pedum numero. Singularis architecturæ inhabitat domum, cubicoventricoſam, rugoſam, gelatinoſam, rigidam, utroque extremo patulam.

lam. Hic reſidet incurvum, ſæpe ſitum mutans: his cunis ova deponit pulloſque excludit.

60. CANCER FALCATUS; *macrourus; manibus falcatis, edentulis, baſi extus gibbis.*

DESCR. Linearis, ½. poll. latus; 2½ poll. longus. *Color* viridis, ſubtus flaveſcens. *Corporis* articuli novem; ſcutis poſterioribus, latioribus. *Antennæ* longitudine *palporum*, apice ſubſpiralium, ſimplicium. *Frons* obcordata, pone truncata, antice ſpinam inter oculos emittens. *Oculi* ſuperne obliqui: *pedicelli* cylindrici. *Thorax* rectangulus; planiuſculus: duobus ſulcis dorſalibus qui ubi deſinunt antice ſuperne, tecti formam refert thorax, & femora priora tegit. *Manus* ſubulato-incurvæ, baſi extus gibbæ, incarnatæ. *Femora* antica craſſiſſima, interne planata, ſuperne carinata, extus convexa, cavitate alba molli pro recondendis *tibiis*; quæ compreſſæ, apice latiores, carina anguli rotundatæ. *Caudæ* baſis *ſcuto* transverſo, in quo carinæ ſex elatæ, planatæ, pone mucronatæ; ſequitur Scutum majus, ſemi-orbiculatum, depreſſius, margine carinis elatis, longitudinalibus, latis, dorſo acutis, pone mucronatis; in medio ſcuti gibbus, elatus, hemiſphæricus, carinis longitudinalibus, convexis, pone mucronatis, numero quinque. Sub hoc ſcuto ab utroque latere *Folia* ciliata duo & *oſſicula* duo; ſuperius latus eſt extrorſum ſerratum, inferius magis bifurcum.

Djiddæ, inter corallia fruticoſa.

TERMES.

61. TERMES ARDA, DESTRUCTOR; (*Termes fatale.* LINN.) *Beitelfakih.* Arab. *Arda.* ارضة

OBS. Differentiam ſexus aut ſpeciei a Dn. ROLANDRO obſervatam, confirmare non potui; quum varietas vix attendenda intercedit. Quotquot vidi Termites (& innumeri erant,) grani oryzæ magnitudinem, vel ⅓. poll. non ſuperabant. *Abdomen* a latere flaveſcens, ſetis minutiſſimis hiſpidum; circulis ſegmentorum fuſcis. *Antennæ* corpore dimidio breviores, maxillis plus duplo longiores. Nonnulli Termites *Capite* gaudebant majori, convexiore, bruneo: *thorace* albido-flaveſcente: *maxillis* arcuatis, porrectis; *antennis* articulis 14. ALII: capite anguſtiore: thorace fuſco: maxillis brevioribus: antennis articulis 10.

Inſectum hoc, crux orbis calidioris, viva non vidi imagine in Ægypto, neque in Arabia, ante urbem Beitelfakih. Cubiculum mihi deſignatum, occupaverat pridem Termes hoſpitibus expulſis. Circumſpicienti, ſe ſtatim prodidit cuniculis dædalæis digiti latitudine, ad parietem deductis & perpendiculariter e fundo ſurgentibus. Sociale animal unita vi laborat in deſtruenda re Oeconomica hominum. Mira tamen Creatoris providentia gentem infeſtam damnavit lucifugam; alioquin enim incolas regione ejiceret: jam tem-

tempus operi impendere debet, jam opus vaſtatorem prodit. Quisque opificum argillæ humidæ granum ore affert & margini applicat. Eapropter canalis durante labore ſemper 2. poll. latitudine humet recenti adhuc incremento. Nonnulli interdum proſiliunt, quaſi ſpeculandi cauſſa. Prima veſpera ductus dirui. Illi contra, eadem nocte ruinam reſtaurabant 3 uln. longitudine. Ductum hinc & inde laceravi: ſubſtitit ejus propagatio, donec feneſtræ erant clauſæ. Candelam ardentem orificio objeci, magno cum operariorum incommodo. Nihilominus inceptam continuabant porticum; furtim tamen & ſub tecto: quumque antea in tenebris & ſub-umbra venam ſpatio 2. poll. producunt horæ tempore, jam unius tantum poll. viam horæ intervallo abſoluebant. Aliquando fornicem longitudine 5. uln. dejeci; baſi tantum intacta. Tanta attoniti clade, tota ſiluerunt nocte; ſequenti vero aurora, iterum fervebat opus. Tubus illæſus ſemper lævis & rectus; ruptus vero & reparatus, vulnera cicatrice monſtrat.

Omnem in urbe Beitelfakih horticulturam affligit Termes, teneras decerpens propagines arborum mitioris fructus; inter quas *Caricam papayam* vehementiſſime lædit ad ſumma uſque cacumina canales deducens. Quotidiana ergo adhibenda eſt attentio, & cuniculi deſtruendi. Truncum & radicem non aggreditur. Arbores *Citri*, utpote amaras, horret. Solent incolæ fimum, quod abominatur Termes, trunco arborum circumponere. *Ocymum baſil.* gratiſſima Arabibus planta ob odorem, verum & grata huic Inſecto, quod arcent ſtercore ovino terræ admixto.

❖ ❖ ❖

PANORPA HALTERATA; *alis albidis, reticulatis; halteribus tri-clavatis, corpore triplo longioribus.*

DESCR. *Corpus* long. pollicis. *Caput* ſupra flavum. *Oculi* globoſi, cærulei; pupilla nigra. *Roſtrum* conico-acuminatum, flavum, porrectum, capitis longitudine; absque palpis. *Antennæ* ſetaceæ, fuſcæ, pollicares. *Collum* longum, cylindricum; ſupra cæruleo-fuſcum, ſubtus flavicans. *Thorax* ſimili colore; gibbus. *Abdomen* dimidio corpore longius, primis articulis flavis, ut & *Chela,* quæ bifoliata. *Pedes* flaveſcentes. *Alæ* corpore longiores, rotundato-oblongæ; forma Ephemerarum & Panorparum; albidæ, reticulatæ cancellis diſtinctis; *Vena* forti, fuſca, margini alæ exteriori propinqua, parallela plus media parte, inde alteri margini adcurvata. *Vena altera* obſoleta, flava, margini alæ exteriori propior, parallela, apicem alæ attingens. *Halteres* 3. poll. vel corpore triplo longiores. *Stylus* 2. poll. filiformis, flavus. *Clava prima* oblonga, utrinque acuminata, forma ſeminis Hordei, fuſco-flaveſcens: *Secunda:* exterior, dimidio minor, cærulea, ejusdem figuræ: *tertia* terminatrix, oblonga, cærulea, apice extimo obtuſo.

Obs. An *Alæ quatuor?* Cardo denominationis in hac re verſatur. Deſcriptio adornata eſt in animali egregie depicto; ſed *alis ſecund.* nec margine, neque umbra manifeſtis: niſi venam, quam adſcripſimus alis ſuper. (tum certe præter modum tenuiſſimis & pellucidis) pro margine exteriore alarum infer. habere velis. Forma Inſecti Neuroptera; ſed *Halteres?* Inaudita proprietas civium hujus claſſis. An alæ ſecund. tam monſtroſe lineares? Nos denominationem potius ambiguam inſcribere voluimus Inſecto ambiguo, quam novum genus vel novam prorſus Claſſem effingere, & jura nomenclaturæ ſummis in arte magiſtris præripere.

Beit el fakíh capta veſpere lucernæ advolans.

VER-

VERMES.

I. MOLLUSCA.

TEREDO.

1. TEREDO ARENARIA; *intra tubulum arenoſo-argillaceum.*

DESCR. Animal digitum transverſum *longum:* fili groſſioris craſſitie; colore carneo. *Tentacula* capitis numeratu difficillima; utrinque 5, & plura. Anteriora ſegmenta ſingula ab utroque latere duabus *Setis* (microſcopio indagandis) veſtita; poſteriora uno tantum capillo: Tres articuli capiti proximi utrinque ſubtus *papilla* ramoſa, ſcopæ forma.

OBS. Ad *Teredinem lapidariam* LINN. prope accedit; niſi domicilii, magnitudinis & papillæ ramoſæ diverſitas obſtaret.

In fundo freti *Öreſund* inter Fucos domunculam ſtruit.

2. TEREDO CONCHILEGA; *intra tubulum membranaceum conchyliferum.*

OBS. Inhabitat tubum rotundum, membranaceum, in arena perpendiculariter deſcendentem pedis profunditate, ultra terræ ſuperficiem latitudine digiti, veſtitum *conchyliis* minutiſſimis. Aquæ refluxu nudatum animal, hic effugium a ſole quærit: ægerrime extrahitur illæſum.

Ad littora *Lohajæ.*

LIMAX.

3. LIMAX MARINUS; *dorſo cinereo-ferrugineo; papillis numeroſis acutiuſculis.*

DESCR. *Longitudo* pollicaris. *Corpus* lineare, attenuatum, ſupra cinereo-ferrugineum; ſubtus & ad latera pallidius. *Foramen* laterale ad dextram evidens nudis oculis. *Tentacula* 4. pallido-pellucida. *Papillæ dorſales* innumeræ, acutiuſculæ, ferrugineſcentes; vena undulata, albo-pellucida.

OBS. Ejusdem ſpeciei videtur cum Limace marino *Rumphii.*

In *Mari mediterraneo* fruſtulis ligneis natantibus adhæret.

4. LIMAX TERGIPES; *albidus, digitis in dorſo circiter duodecim.*

DESCR. *Magnitudo* pediculi majoris. *Forma* quibusdam ovata; aliis oblonga, ſubcaudata: hæc varietas ſpecies non diſtinguit; Limaces enim ſæpe figuram mutare ſcimus. *Papillæ* obovatæ, utrinque ſex Vix tamen inire potui numerum, ob arctam denſitatem, & perpetuum motum periſtalticum, vivo animali: mortuo autem collabitur totum cor-

pus in globulum. Mirum mihi erat videre Limacem dorſo & reſupinatum reptare; quaſi papillæ totidem eſſent digiti.

In fundo maris ad fretum *Öreſund* inter fucos.

5. LIMAX MINIMUS; *pallide cinereus, ſeriebus papillarum dorſalium quatuor.*

DESCR. *Magnitudo* ſeminis oryzæ. *Corpus* oblongo-arctatum, pallide cinereum, vena dorſali obſcuriore; ſubtus pallidius. *Tentacula* 4, juxta caput albida. *Papillæ dorſales* ovato-oblongæ, obtuſæ, cineraſcentes, plurimæ, digeſtæ, (ut videtur) in 4. lineas longitudinales. Dorſum nudum tota longitudine.

In *Mari mediterraneo.* Fucis natantibus incubuit.

NEREIS.

6. NEREIS CÆRULEA. In freto *Öreſundico* & *Archipelago.*

OBS. Articulorum numerus valde inconſtans: Dioptrico enim oculo adjutus in una Nereide articulos numeravi 19: in alia usque ad 64. Quædam Sp. V. injecta viva, *tubulum* linguiformem ſub capite exſerebat; qualem *Nereis lacuſtr.* ſemper protendit. Procul dubio, membrum hoc in omnibus hujus generis reperitur.

Phoſphoream lucem fundebat nuper aquis extracta; non vero ſemper; longe minus omnem Oceanum illuſtrat; quum repetita ſæpe & in diverſo mari experientia ipſas Nereides inter animalia marina rariſſima obtinuit. Credulas iſtas obſervationes & præcipitatam hypotheſin Adriaticis remittimus undis.

7. NEREIS PELAGICA, RUBRA.

OBS. Articulorum numerus in hac quoque variat Nereide, (eſt enim vel 44. vel 74.) immota tamen ſpecie. Sat velox natat, corpus velut horizontaliter flectendo per undas.

In mari *Öreſundico* a nobis detecta, hæc Oceani incola. Tentavi, an noctiluca eſſet? nullam emiſit lucem nec ſponte, neque vaſculo in quo tenebatur agitato. Semel tantum quum aquam effundebam, illa breviter micavit denuo data; quod ſimili caſu contigit cum alia NEREIDE VIRIDI. Poſtea neque unam vel alteram ſpeciem reperire potui, ut experimenta hæc continuaſſem.

PRIAPUS.

OBSERV.

Character Genericus in vivo animali; determinatus. *Priapus Corpore carnoſo, tereti, baſi affixo, ſuperne plano; margine tentaculis numeroſis; ore in medio protuberante; toto intra ſaccum retractili.*

8. PRIAPUS GIGANTEUS; *cinereo-vireſcens; limbo plicato, corpore multoties latiore, tentaculis papilliformibus, vireſcentibus.*

DESCR. Sui generis maximus, quatuor pollices longus & latus. *Limbus* margine plicatus, expanditur in aqua diametro plus quam pedali; plani-

planiuſculus; papillis vel conteƈtus, vel ſi multum dilatatur, verſus os lineis radiantibus, obſitus. *Papillæ* longæ, cylindricæ, apice violaceæ, vireſcentes. *Os* in medio ſæpe clauſum; at exemto aqua animali, dilatatur in peripheriam duorum vel trium pollicum, exſerens ſimul velut plicas inflatas, forma veſicæ. Vidi quoque ex ore recentis mortui papillas prodeuntes virides, atque *fila* alba, tenuia, ſemipollicaria, plurima. Quo altius oris moles extra corpus elevatur, eo magis rugoſus & cavus redditur truncus; & hoc in vivo æque ac in mortuo vidi.

Obs. Corpus coeno ſabuloſo reconditum, ſolum limbum in margine ſuperiore expandit. Venantibus ſe ſubtrahit ocyus, terræ ſe immergens; ope nervorum, e baſi corporis, radicum inſtar, profunde & perpendiculariter deſcendentium. Mira *viſcoſitas* papillarum, (vivi aut nuper mortui) tanta tenacitate adhærentium manibus vel cuicunque rei, ut potius ipſæ a corpore divellantur, quam a re taƈta. Reſiduæ earum partes plurima deinde friƈtione vix deterguntur.

In *Mari rubro* ad littora vadoſa, *Lohajæ* & *Mochhæ*. Arab. *Tâbaket el bâhr.*

9. PRIAPUS albus; *gelatinoſus, albido-hyalinus, tentaculis parvis, papilliformibus, oblongis.*

Descr. Diameter vix pollicis. Totus gelatinoſo-pellucidus; vittis velut longitudinalibus, obſcuris. *Tentacula* diametro (ut putaverim) triceſies breviora, papilliformia, remotiuſcula, per totam ſuperficiem ſuperiorem inſerta. Corpus intra *ſacculum*, pro more congenerum, retrahitur; ſed lente. Vivum, quem vitro clauſum tenui, adeo tarde reptantem baſi, vidi, ut horulæ patientia motum qualemcunque notaverim.

In *Mari rubro* lapidibus littoreis adhæret.

10. PRIAPUS ruber; *totus rubens; glandulis marginalibus albis.*

Descr. *Diameter* vivi ad baſin pollicum $2\frac{1}{2}$.: *altitudo* ſeſquipollicis. *Præputium*, ſeu ſaccus receptorius, longitudinaliter ſtriatus. *Tentacula* marginis, fere pollicaria, ſubulata, plurimis ſeriebus conferta, carnoſa, patentia, contraƈtilia, verſatilia. *Os* ſuperne in medio hemiſphærice protuberans, fiſſuris in centro duabus tribusve *Glandulæ* elatæ, albæ ſub tentaculis in margine, circumcirca una ſerie: tentaculis dimidio breviores.

Obs. Vivus in vaſculo aqua marina pleno receptus, baſin corporis applicuit fundo radios in floris effigiem læte pandens. Aquæ dulcis, tantilla parte affuſa, ilico intra ſaccum ſe recepit & clauſit. Ejeƈta hac aqua, & marina iterum addita, animal denuo ſe explicuit. Spir. V. inutiliter ſervatur, colorem, figuram, molem mutans.

 Maris

Maris mediterranei littora juxta Catacombas *Alexandriæ* inhabitat, baſi verticaliter affixus lapidi extra aquas eminenti & undis per vices aſperſo. Arab. *Garindſj el báhr.*

11. PRIAPUS VIRIDIS: *fuſco-virens, tentaculis diametri longitudine.*

DESCR. Diameter & altitudo pollicis. *Os* in medio plani ſuperioris protuberans, hemiſphæricum, apertura lacera. *Tentacula* filiformia, multis ſeriebus conferta, corpore longiora, obſcure-viridia; interdum fuſca; interdum apice rufeſcentia. *Glandulæ* marginales ſub tentaculis fuſco-virentes. *Retractio* intra ſaccum lenta; impatiens tamen contrectationis, vel miſcelæ liquoris alieni.

OBS. Servandus Sp. V. confeſtim injiciendus, aqua marina extractus. Nonnulli multum ſe contrahunt: alii patentes moriuntur figuram & virorem pulchre ſervantes. Priapos valde timent incolæ Alexandriæ, dum aquas natandi cauſſa ingrediuntur. Retulit mihi aliquis, Vermem hunc recutitis moleſtiſſimum eſſe, & tumorem graviter dolentem cauſſare. Pulvere lapidis lateritii pro medela utuntur.

In littore *Alexandrino* lapidibus ſubmarinis inſidet. Arab. *Karraſa.*

12. PRIAPUS POLYPUS; *baſi dilatata; corpore cylindrico; tentaculis maculatis.*

DESCR. *Corpus* albidum, fuſco-nebuloſum: variæ menſuræ, usque ad bipollicarem longitudinem. *Baſis*, diametro ſeſquipoll. albida: loco ſuo appreſſa & corpore latior, inque junctura, cincta una ſerie *Macularum* ſubconvexarum, albarum, in quibus *punctum* nigrum, parvum: quævis guttula ad marginem extendit par *linearum* ferrugineatum; interque ſingulas ſimile par: quodcunque horum, includit vittam cæruleſcentem. *Tentacula* apicis plurima, diametro triplo breviora, fuſco-maculata: exteriora rufeſcentia, interiora flava. Diſcus medius nudus; maculis, ſeu nebulis albis: circa oris cavitatem circulus ruber. *Fila* capillaria, rubra, bipollicaria, ex oris fovea rarius emiſſa.

OBS. Plurima in hoc verme peculiaria notavi. a) Corpus erigere valet in altitudinem duorum pollicum; deprimit, quoque ut convexum vix appareat, ſed ejusdem cum margine ſuperficiei. b.) Fila oris retrahit. Quum baſin fili alicujus bacillo loco moverem totum ſtatim penicillum filorum porrigebat; & deinde retraxit. c) Aliquot vermes, dum baſis ita premebatur, ſimul ex maculis ſupra deſcriptis fila rubra emittebant brevia, & adhuc alia ſub baſi. d) Filum loco motum, ferro preſſi ad baſin corporis, vermis non ſuſtinuit hanc vim, ſed apicem clauſum aperuit, & tentacula protulit. Alius vero experimenti ſcenam mutavit, & preſſus apicem non ſolvebat, verum maculas baſeos patefecit, e cavitate quarum fila rubra deprompſit plurima.

In Mari rubro habitat juxta urbem *Ghomfodam, adhærens conchyliis.*

SCYL-

SCYLLÆA.

13. SCYLLÆA GHOMFODENSIS; *Tentaculis primis nudis, apice cavis, reliquis introrſum vittis ramoſis.*

DESCR. *Corpus* compreſſum, verſus dorſum latius, pollicare, vix unguem altum, pallide flavum, pellucidum; punctis fuſco-ferrugineis. *Os* paulo prominens labio ſuperiore, majore, bifido. *Tentacula* trium parium, ad latera dorſi, compreſſa: *prima* reliquis minora, obovata, margine obſcuriore, utrinque nuda, apice antrorſum in margine cavo: *ſecunda* & *tertia* in medio corpore contigua, a primis remotiora, margine denticulato repanda & obſcuriora; majora primis, extus nuda; intus villoſa; vittis hyalinis, ramoſis, ſylvulæ inſtar dactyliferæ. *Dorſum* usque ad caudam planum; utroque margine fuſco-punctatum; in medio ſerie longitudinali punctorum cæruleorum. *Cauda* poſt tertium par tentaculorum tota compreſſa; in dorſo elevata in carinam rotundatam, repandam, margine fuſceſcentem, anterius utrinque vittis ramoſis, parvis, minoribus tentaculorum vittis. *Abdomen* canaliculatum, expanſile ut Limacum: illius ope in fuco repit. In medio latere utrinque ſeries longitudinalis *papillarum* quinque albarum, exiguarum: & præterea, *puncta* cærulea. *Inteſtina* translucent in lateribus: ſub collo *filum* labyrinthi-forme, albidum & *globus* albus: deinde *globuli* tres majores, ſerie longitudinali, aurantii colore.

OBS. *Scyllæa pelagica* LINN. tentaculis mediis papilloſis gaudet, & ultimo primoque ſimilibus; quæ ſigna in noſtram non incidunt; quæ vagabunda eſt; non affixa & quieſcens.

In Mari rubro parcius inter *Ghomfodam* & *Djeján* incumbens fucis natantibus.

HOLOTHURIA.

14. HOLOTHURIA DENUDATA? *orbicularis, cærulea, criſta nulla, tentaculis diſci nudis, radiis triſariam glandiferis.*

DESCR. Diameter latitudine digiti. *Paginæ ſuperioris diſcus* vel nucleus, diametro dimidio minor ipſius animalis; paulum elatus, ut umbo clypei depreſſi; albidus, ſtriis concentricis & e centro radiantibus decuſſatus, rigidus, margine obſcure cæruleus. *Limbus* diſco dimidio anguſtior, cæruleus, immaculatus, pellucidus, flexilis, planus; linea circumcirca ad oram ſtriis nigris centrum ſpectantibus compoſita. *Paginæ inferioris tentacula* omnia, diſco jam deſcripto, nucleo ſcilicet, non limbo affixa. In medio apparet *Ventriculus* limbi latitudine, baſi globoſus, ſuperne terminatus *ore* cylindrico aperto; quod demitti & dilatari

poteſt

poteſt patulum ejusdem ambitus cum baſi ventriculi: & conſpectum dat *inteſtinorum*; quæ exſerebantur gelatinoſa, albida, longa. Reliquæ parti albæ nuclei adnectuntur *Tentacula* parvula, lævia, baſi ovata, adunata in ſtylum filiformem, apice incraſſatum; interiora tentacula alba; exteriora magis magisque cæruleſcentia & pellucida, exeuntia ad limbi oram, non vero excedentia. Nuclei margini cæruleo adnectuntur tentacula multorum ordinum, limbo longiora, inæqualia; *exteriora*, ſeu ſuperiora plerumque breviora; quorum longiſſima diametrum corporis parum ſuperant; breviſſima vix limbum excedunt: omnia filiformia, hyalino-cæruleſcentia, linea media obſcuriore; dimidia parte interiore nuda, dimidia exteriore triplici ſerie longitudinali ciliato-glandulоſa: ad utrumque enim latus & ſubtus in medio exeunt *pedicelli* hyalino-cæruleſcentes, ſubverticillati, terminati glandula ſeu capitulo obſcure-cæruleo. Pedicelli atque capitula verſus apicem gradatim increſcunt: Series infera terminat tentaculum capitulo medio fere ſeſſili, inter glandulas laterales pedicellatas. *Verticilli* pedicellorum ſæpe 5. vel 6. in quovis tentaculo. Varie incurvat animal & extendit tentacula glandifera: at nuda iſta, contrahit ſæpe in cylindros craſſiores, apice patulos. Limbus interdum margine leviter reflectitur. In fundo vaſculi ubi Holothurias ſervavi vivas per horam unam alteramve, vidi *Ova* an excrementa? dejecta; ſubcubica, hyalina, circello fuſco in medio baſeos, & linea fuſca, ſubſinuata, interior, erecta ad ſingulos 4. angulos laterales: Oculo tantum armato apparuere. Injectum Sp. V. animal colorem perdit & tentacula radii.

In Mari mediterraneo non viſa ante *Maſſiliam*: at inde & trans *Melitam* crebrior, fine menſis Maji.

15. HOLOTHURIA SPIRANS; *ovalis, cærulea, oblique criſtata, ſubtus tentaculis diſci albis, radiis longioribus, nudis, cæruleis.*

DESCR. Longitudo 2. poll. latitudo dimidii. *Superne: Nucleus*, ovalis, rigidus, in umbonem elatus, albidus, margine obſcure-cæruleus, annulis ovatis, concentricis: nucleo interno perlucente fuſco, ſeu obſcure-cæruleo; baſi criſtæ in duas partes æquales diviſa. A parte utraque a centro ad limbum decurrit *linea* impreſſa, adeo obliqua, ut baſi criſtæ ſit perpendicularis. Parte media inter hanc lineam & oram criſtæ remotiorem alia eſt linea minus impreſſa, minus evidens. *Limbus* nucleo dimidio arctior, planus, flexilis, juxta nucleum pallide-cæruleus, inde verſus marginem punctis nigris, ſeu obſcure-cæruleis obſitus; prope oram linea nigra circumdatus: extrema ora pellucida, tenuis, dilute cærulea, immaculata. *Criſta* ſemiorbicularis nucleo, non limbo, impoſita; ab uno ejus margine ad alterum oblique tranſiens ita, ut quam-

quamcunque extremitatem advertas, pone ad dextram, ante ad ſiniſtram ſpectet. Criſta compreſſa *limbo* flexili conſtat & *nucleo* rigido, ſubtriangulari, altitudine dupla, lateribus rotundiuſculis, apice prominulo, obtuſo, ad oram usque per limbum tranſeunte, venulis obſcurioribus, tenuiſſimis reticulatus; margine cæruleo-punctatus, rigidus, hyalinus. *Limbus* flexilis, utrinque rotundatus, baſi latiſſimus, verſus apicem attenuatus, totus cæruleſcens venis margini parallelis, tenuibus, albidis, margine cæruleo.

Subtus. *Tentacula* omnia nucleo affixa; *diſci* multa, limbo breviora, filiformia, baſi & apice craſſiora, albida, apice niveo, in magnum foramen dilatabili. Tentacula *radii*, ſeu marginis nuclei variorum ordinum, inæqualia, limbo ſæpe longiora & corporis quoque latitudinem egredientia, ſubulato-filiformia, hyalino-cæruleſcentia, margine utroque & nervo medio obſcuriore. Movere poteſt animal tentacula diſci huc illucque; extendere & contrahere; ora dilatare vel comprimere, at radii tentacula minus abbreviat, ſed vertit in varios ſitus. Nucleus ipſe ſubtus niger, limbus pallide-cæruleus, punctis nigricantibus: in medio *ventriculus* albus, globoſus, ore cylindrico, longo, aperto, multum dilatabili & retractili.

Obs. Holothuriæ hujus ſpeciei in aqua diu ſervatæ, eam colore cæruleo tingunt: foetidam reddunt mortuæ, tentaculis radii delapſis. In Sp. V. prorſus albeſcunt; tantum linea nuclei longitudinali nigra ſuperſtite. In ejusdem nuclei *annulis* bullæ *aeris* reſidui ſe manifeſtant vario motu, illosque vacuos probant, & quaſi pulmones quarum ope natant Holothuriæ fere ſemper. Haud raro fundum vaſculi petiverunt, emiſſo prius aere. Reſpirationi ergo inſerviunt tentacula diſci: nam dorſo reſupinatum animal, aperuit ora tentaculorum, quibus bullulæ aereæ adhæſere. Navigat ope criſtæ, tentaculis radii remigat, tentaculis ſe tollit in altum vel demergit.

In mari aliquando natat Sceleton hujus vermis, album, ſola parte rigida corporis & criſtæ ſuperſtite. In iſtis exuviis habitant Aſili, Oniſci & Monoculi parvi.

Nauta navis noſtræ Gallus narravit, Holothuriam hanc Gallico idiomate vocari *Vallette*, & pacato mari piſcari a nautis, qui farina aſperſam, & cum oleo vel butyro frixam in edulem præparant eſcam.

Glutine nativo ubique adhæret: ſi chartæ imponatur oleo tinctæ, & umbroſo loco ſervetur, colorem immutatum retinet; rubeſcit quidem; ſed aqua affuſa, ad colorem redit cæruleum & nativum. Non invenuſta eſt, quantum Vermi licet.

In *Mari mediterraneo* prope *Cap. S. Martini* capta tranquillo pelago. An *Thalia* Linn.?

SEPIA.

16.[r] SEPIA OCTOPODIA. Arab. *Sebbed* vel *Arfuſis* vel *Achtabût.* اخطبوط

OBS. *Alexandriæ* ingratum animal hominibus aquas tranantibus: cuti enim adhæret ſuctione fortiſſima, ſine vulnere aperto. Vir proprio damno inſtructus narrabat, ab hoc ſodalitio Sepiæ ægerrime ſe extricaſſe. Locus læſus inflammabatur ſine tumore; dolore intenſo ad medullas usque penetrante; adeo ut dimidii menſis tempore incedere vix valuerit.

Smirnæ tam exoſa non eſt Sepia. Græcis eſca jejunalis; *ova* præſertim inter delicias. Inteſtinis exemtis, carnem bene tuſam coquunt: vel ſole ſiccatam in longum tempus aſſervant; deinde aqua bene ſubacta ſuper carbones torrent, vel alia arte coquinaria præparant.

MEDUSA.

α) LIMBO NON TENTACULATO.

17. MEDUSA TETRASTYLA; *hemiſphærica; tentaculis nullis; tubulis marginalibus quatuor, in priſma coadunatis.*

DESCR. Diameter interdum ſeſquiſpithamalis. Subtus verſus marginem *tabulæ* gelatinoſæ, lineares, pollicem latæ, tres pollices longæ, rectæ, extrorſum & introrſum planæ, craſſiuſculæ, conniventes, apice unitæ in *priſma* angulatum, fere ſeſquipollicem longum. Tota hyalina, gelatinoſa, rigidiuſcula; marginis tentaculis nullis.

In Mari rubro ad *Hammam Pharaûn* inter urbes *Suês* & *Tôr* in littore paſſim.

Arabes vocant omnes Meduſas communi nomine *Kandîl el bâhr;* id eſt: *Lucerna marina.*

18. MEDUSA OCTOSTYLA; *hemiſphærica; tentaculis margine nullis; ſubtus columna quatuor-plicata; apice lobis octo, multifidis; lateribus ſedecim appendicibus.*

DESCR. *Pileus* hemiſphæricus, pedalis diametri, tuberculoſus emarginationibus, octo? radiis totidem pellucidis, e centro exeuntibus. Tentacula marginis nulla, ſed *folioli* inſtar ad ſingulam emarginationem. *Subtus* ad baſin pilei quatuor *columnæ* ſeſquipollicares; quæ uniuntur in unam molem cubiti craſſitie, teretem, quadripollicarem, apice fiſſam in 8. *cylindros* digito craſſiores, juxta marginem exeuntes: pollicari ſpatio ſimplices; altero ſpatio pollicari, varie ramoſos. Ad latera magni cylindri ſunt *appendices* circumcirca verticales 16, compreſſæ, pollicares, quadrantiformes, margine inferiore recto, integerrimo, ſuperiore quadrantis modo curvato, varie inciſo. *Color* animalis hyalino-cæruleſcens.

In Mari rubro prope *Mochham.* Arab. *Homâd.*

19. ME-

19. MEDUSA ANDROMEDA; *hemiſphærica; tentaculis nullis; brachiis octo teretibus, ramoſiſſimis; inferius foliaceis.*

DESCR. *Corpus* diametro 4. poll. convexiuſculum, margine integerrimum, hyalino-fuſcum; *maculis* radiantibus, albis; majoribus ſpatulæ-formibus 16, compoſitis ovali macula verſus centrum; verſus limbum lamina haſtata, apice biloba. Hæ maculæ ultra pollicem longæ, a margine usque ad tertiam partem corporis procedunt. Inter ſingulas juxta marginem interjacent maculæ ternæ, oblongæ, albæ, longitudinales, ungue breviores. Poſt baſin macularum ſpatulatarum inter ſingulas adhuc *macula* oblonga, nigra, unguis longitudine. *Centrum* hyalinum, *cruce* nigra, pollicari, obſoleta. *Subtus* ad tertiam partem diametri octo *rami* exeunt, baſi craſſiores penna anſerina, albi, teretes, ramoſiſſimi, ultra limbum animalis 1. poll. prominentes; ſuperne nudi, *Lichenis rangif.* forma, infra *Lich. paſchalis.* *Ramuli* alterni, conferti, ramoſi, apice velut corymboſi, ramis tenuiſſimis, filiformibus, faſtigiatis, fuſcis. Subtus hæc octo brachia tota plena *corymbis*, terminalibus ramulorum fuſcis velut alba farina conſperſis, interque illos exeunt plurima *folia* membranacea, oblonga, ſæpe ſemipollicaria; minora alba; majora olivacea, margine maculisque aliquot flaveſcentibus.

Copioſa in fundo littoris *Rubri Maris*; prope urbem *Tôr.* Pulcherrima & inter omnes ſui generis maxime compoſita.

20. MEDUSA CORONA; *hemiſphærica; tentaculis nullis; ſubtus brachiis octo cultratis; infra dentatis utrinque.*

DESCR. Diameter quadripollicaris. Tota hyalino-rufeſcens. *Centrum* cruce cærulea pollicari. *Brachia* ſubtus octo, longitudine diſci, ſuperne cultrata, ſubtus lata, apice bilobo, lateribus baſeos dentatis, hinc inde ramoſis, ramis denuo dentatis: dentes ſubconici, ungue breviores. Quia ſubſtantia rigida eſt; dorſo impoſita formam ſervat coronæ vel Lampadis chryſtallinæ; qualem candelis excipiendis magnatum triclinia præbent. Gratus oculorum luſus, dum viva eſt.

Ad *Suës* paſſim. Deſcriptio inſtituta in animal Sp. V. aſſervatum.

21. MEDUSA PERSEA; *hemiſphærica, hyalina; intus annulo opaco, albo quater interrupto; marginis tentaculis nullis.*

DESCR. Diameter bipollicaris. *Annulus* internus albus, diametro plus quam pollicari, conflatus ex 4. viſceribus teretibus craſſi fili latitudine, transverſe fuſco-ſtriatis, albis. *Margo* longe prominens, verſatilis; cirrhis nullis. *Subtus* corpus medium rigidius, (an *ventriculus?*), craſſum, teres, terminatum quatuor *brachiis*, ſub-lanceolatis, fere pollicaribus,

 ſed

ſed varie flexilibus & dilatandis; margine undulatis. *Motus* Meduſæ vivæ cernitur in margine & brachiis ſubtus. Aſſervando opus eſt Sp. V. fortiſſimo, qui cito diluitur aqua ab animali emiſſa; adeoque ſæpe innovari debet.

In *Mari mediterraneo*; unicam inveni.

22. MEDUSA CUPHEA; *pallio tuberculato, fuſco-ruſeſcente, margine crenato; brachiis ſubtus octo lanatis.*

DESCR. *Corpus* hemiſphæricum, pellucidum, *tuberculis* plenum, fuſco-ruſeſcens, radiis ex centro 8. obſoletis, pallidioribus, terminatis in limbo lobo ovato, bifido. Inter duos radios ſemper ſunt in margine *lobuli* ſemi-orbiculati 8, membrana ad apicem usque connexi. Sub pallio *rugae* obſcuriores, concentricæ; confertæ. Medio corpori ſubtus affixa, quatuor ligamentorum ope *Brachia* 8, hyalino-fuſca, primum teretia, deinde in laminam trigonam vel deltoideam dilatata. Cujusvis laminæ tres anguli veſtiuntur, (ſubtus præſertim) *ramificationibus* tenuibus, multiplicibus, velut *lana* fuſco-ruſeſcente. Iisdem angulis laminarum, (non vero apici) *corpuſcula* affiguntur ovata, alba, hyalina, forma Veſicæ, ſed tota farta & gelatinoſa. Nonnullæ in centro produnt ſubtus *materiam* albam, reticulato-lanatam: an ova? Quibusdam *fila* albentia centro adhærebant, plurima, craſſitie pennæ columbinæ; longitudine ſpithamæ & ultra.

Djiddæ habitat.

β) LIMBO TENTACULATO.

23. MEDUSA PROBOSCIDALIS; *hemiſphærica; ſubtus in medio proboſcide longa; tentaculis marginis ſex.*

DESCR. Diameter poll. $2\frac{1}{2}$. *Supra* convexa, non excavata, quamvis ſic appareat: multum hyalina & rigida. *Tentacula* filiformia ſex, ſemidiametro corporis breviora; ſupra marginem extus affixa. *Margo* prominens, æqualis. *Proboſcis* ſubtus e centro; baſi digito craſſior, ſenſim attenuata, ſubflexilis, lineis obſoletis, pallidioribus, apice truncata, fimbriata, *membrana* plicata, dimidium unguem longa, verſatili. Cultro aperta proboſcis farta deprehendebatur, nullo aperturæ veſtigio. *Folia* ſubtus ſex; ſingulum inter ſingula tentacula & proboſcidem, pollicaria, cordata, apice fundum tentaculi attingentia; baſi petiolo lineari in proboſcide linea obſoleta decurrentia. In vivo animali arcte corpori adhærent; in Sp. V. facile decidunt, & proboſcis pallet.

In *Mari mediterraneo*.

24. ME-

24. MEDUSA noctiluca; *orbicularis, depreſſa; verrucis punctisque bruneis; marginis tentaculis octo rubris.*

Descr. Diameter 3. poll. altitudo 1½. *Superficies* convexa, clauſa, hyalino-ruſeſcens, maculis punctisque bruneis. *Circulus* perlucet labyrinthi-formis, pallide rubens, quater interruptus, radios curvos rubentes verſus centrum emittens; *Margo* incurvus; fiſſus in *Lobos* 16; quorum quisque membrana hyalina connectit duos *Lobulos* linguiformes, rubros, extus bruneo-maculatos. Per hos lobulos, ſeu radios decurrit ab apice *nervus* ruber. Hi nervi bini ſemper aſſociati ſupra fiſſuram loborum, figuram ſiſtunt literæ *h* inverſæ. *Tentacula* 8, rubra, pollicaria, compreſſa, ſubrigida, e fiſſura intra duos lobos prodeuntia. *Ventriculus* corpore duplo altior; ſubtus quadriplicatus. *Plicaturæ* cujusvis dorſum dimidia parte inferiore rotundatum, rigidum, bruneo-maculatum: dimidia parte ad apicem. Plicæ totæ ſunt laxæ, immaculatæ, ora varie plicata. *Motus* Meduſæ vivæ ſe exſerit marginem inflectendo & evolvendo; ventriculum diverſo modo jactando; tentacula flectendo, non vero contortuplicando.

Obs. *Varietas* eſt hæc noſtra a Pelagica, Linn. rara & pellucida. Alia ſubopaca, punicea, *verrucis* piſi-formibus ſuperne plena, quæ vero ſimul cum cortice externo tenui decidunt in Sp. V. *Ventriculus* non raro ſpithamalis, ſub corpore pendens 4-lobatus.

Ulceroſas & ſcabie affectas manus hanc non impune tractare perhibetur. Ego ſana cute illam geſtavi ſæpe diuque ſine uſtulationis ſenſu.

Hæc, ſi quæ alia, vera eſt Noctiluca. Multis experimentis in *Mari Mediterraneo*, ubi habitat, præſertim ſub Inſula *Majorca* inſtitutis, mihi patuit, illam valde *phoſphoream* eſſe. E margine lucem fortiorem amitttit, quam e nucleo. Lacerata & in mare projecta, lucida via ad fundum deſcendebant fragmina. Partes diſcerptæ, aquæ marinæ in vaſculo mixtæ & quaſſatæ copioſe ſcintillant: & ſtagnando aquam cito corrumpunt. In cribello aquam ſuperfudi; quæ dum tranſibat, partes iſtæ innumeris radiabant ſtellulis: & ſæpe affuſa aqua, lumen non minuebant. Id memorabile eſt, & magni canonis inſtar in hac Experientia: *Aquam marinam per chartam bibulam percolatam lucendi vim perdere.* Innumera Meduſarum integrarum copia, & corpora undis attrita vel rupta, ſuccumque gelatinoſum effundentia totidem certe phoſphoros accendunt: hinc tamen Theoriam univerſalem alii deducant, ego non Lente & modeſte perpendant, Meduſæ-ne virtutem hanc obtineant ex aqua, vel hæc a Meduſis; immenſus ſcilicet Oceanus minimæ ſui parti tanta miracula debebit!

25. MEDUSA mollicina; *orbicularis, depreſſa; foraminibus lateralibus* 12; *tentaculis* 12.

Descr. Diameter ſeſquipoll. *Color* hyalinus. *Plicæ* 12. ad peripheriam formantes foveolas obovatas, æqualiter diſtantes. *Margo* prominens intra tentacula, æqualis. *Tentacula* 12, ſupra marginem prodeuntia: ad

fundum fovearum ſingula: longitudine quartæ partis corporis; attenuata. *Subtus* in medio *macula* orbicularis limpida; *os* forte ventriculi: huic adjacet *annulus* obſcurior, obſolete radiatus, radiis verſus centrum directis, pallidis. *Motus* ut in congeneribus, margine & tentaculis. Ob nimiam mollitiem in Sp. V. tota corruit.

In *Mari mediterraneo.*

26. MEDUSA PILEATA; *ovato-campanulata; ſuperne globo hyalino; intus nucleo rubro; oblongo; tentaculis marginis numeroſis, baſi flavis.*

DESCR. Unicam obtinui, *altam* ſeſquipoll. *latam* pollice minus: campani-formem. *Globus* verticalis, magnitudine piſi majoris, latior baſi, ſeſſilis. *Nucleus* internus, an ventriculus? ruber, pollicem longus; in lobos 4? ſubtriquetros longitudinaliter fiſſos, undulatos, ante marginem terminatos. *Margo* parum coarctatus, tentaculis plurimis, corpore brevioribus, flavis, baſi craſſioribus. *Cicatrix* transverſa, velut circumligati fili non procul a globo verticali; at caſu exortam puto, nec ad characterem naturalem pertinere. Color nuclei pulcherrimus in Sp. V. hyalinus evadit.

In *Mari mediterraneo.*

27. MEDUSA CRUCIATA? *hemiſphærica, cruce ruſeſcente, corporis latitudine.*

DESCR. *Magnitudo* ceraſi dimidiati. *Figura* ſæpius hemiſphærica, interdum late campanulata. *Superne* in medio apparent velut *foraminula* 4; vel annuli minutiſſimi, albi, approximati: loco inter illos medio, ſeu in centro corporis, ſecant ſe perpendiculariter duæ *lineæ* rufeſcentes, ab ora ad oram deductæ, *crucem* fingentes. *Margo* tenuis, prominens, varie flexilis, ſæpe rufeſcens; *Tentaculis* innumeris hyalinis, corporis ſemidiametro vix longioribus. *Subtus*, *Nucleus,* ſeu ventriculus opacus, rufeſcens, rigidus, terminatus 4. brachiis verſatilibus, margine undato-fimbriatis. *Motu* marginis celeri natat. Sp. V. cui immittitur, poſt horulam novus & fortis immutandus erit.

28. MEDUSA ÆQUOREA: *orbicularis, planiuſcula, margine inflexo, villoſo, tentaculato.*

DESCR. Diameter ſpithamalis (communiter;) nam vidi & ſuſtuli quasdam pedalis diametri & ultra, quarum cirrhi marginales ulnam ſuperabant. *Corpus* gelatinoſum, orbiculatum, depreſſum: a centro ad medium prorſus hyalinum, ſine *radiis*; vel ſi qui ſint, ex plicis peræ ortis & varie mutabilibus; huic parti corporis ſubtus appenditur *Ventriculus* velut pera dilatabilis; *ore* medio patulo, criſpo, fimbriato, varie verſatili & laxando,

laxando, diametro peræ dimidiæ. Huic ori digitus intruſus, peram elevare poteſt; corpus autem in iſto loco pervium non eſt. A dimidio corpore, ſeu a fine peræ ad marginem *Radii* ſubtus decurrunt fuſci, approximati, verſus centrum directi; numero indefinito, pro magnitudine animalis. In typo deſcripto, mediæ ſtaturæ, diametri ſcilicet ſpithamalis, radii erant 129. In parvis dimidio pauciores. Horum radiorum bini ſemper propiores, linea hyalina diſtincti, canalem formant communicantem cum pera magna; quod patuit injecto mercurio, & inſectione facta. Dum vivit animal, arctantur radii magis, adeo ut gemini unum ſimplicem formare videantur. Languente vel mortuo, dilatantur & hiſcunt, margine undulas trahente. *Margo* tenuis, inflexus, non villoſus. *Cirrhi* marginis inæquales; quidam pedis menſura. *Tentacula* marginis filiformia, ad quemcunque fere canalem radiorum ſingula; inæqualia, duplum diametri animalis æquantia. *Motus* peragitur inflexione varia cirrhorum & oris peræ; præcipue vero alterna inflexione & reflexione totius marginis. Raſa ligno, parum adeo in tenebris ſplendet. Servanda in Sp. V. magnam aquæ vim evomit & liquorem debilitat; qui ergo poſt horæ ſpatium permutabitur.

In *Oceano Atlantico* & *Mari mediterraneo* omnium frequentiſſima. *Danis* Vandmand; id eſt: *Aquarius*.

29. MEDUSA BEROE. Tres ejus vidi varietates vel ſpecies.

a) ALBENS: nuce coryli duplo major, coſtis albis; ovalis, tentaculis nullis. Viva tremebat ſemper ciliis coſtarum, & color velut igneus vagabatur ab uno margine ad alterum. Inanem fuiſſe, puto. In vaſculo, ſoli expoſita illico mortua & collapſa Inveniebatur ad ingreſſum *Freti Hiſpanici* copioſe. In *Mari rubro* ſimilem vidi, tam mollem & fluxam, ut nullo modo integram tractare, multo minus conſervare potuerim.

29. b) DENSA: coryli nucis magnitudine, globoſo-ovalis; coſtis rufeſcentibus; intus gelatina farta. E centro tentacula duo, rubra, corpore aliquoties longiora, exibant: Coſtæ tremunt. Lucet in tenebris. *Maris mediterranei* incola.

29. c) RUFESCENS; ovato-oblonga; ſæpe 5. poll. longa; intus prorſus vacua. Gallis: *Concombre de la mer*. In *Mari mediterraneo* frequens.

NOVA

NOVA GENERA MOLLUSCARUM.

I. SALPA: *corpore libero; gelatinoſo, oblongo, utroque apice aperto; intus vacuo; inteſtino obliquo.* Variat: a) *nucleo globoſo, opaco juxta anum.* b) *nucleo nullo; ſed linea dorſali opaca.*

Nomen mutuatum a Σάλπα piſce, Græcis cognito; & huic Vermi additum, ob ſimilitudinem formæ cum tubo canoro. Animal plerumque *gregarium*; mira cohærens ſymmetria: *motum corporis* per ſyſtolen & diaſtolen ſiphonica arte perficiens.

II. PTEROTRACHEA: *corpore libero; gelatinoſo, pinna gelatinoſa, mobili ad abdomen vel caudam; oculis duobus intra caput.*

Nomen ſumtum a pinna mobili, affixa corpori pervio & tracheato.

III. PHYSSOPHORA: *corpore libero; gelatinoſo, e veſicula aerea pendente; membris gelatinoſis, ſeſſilibus ad latera; tentaculis ſubtus plurimis.*

Situs animalis hydroſtaticus, ſublatus pulmone extra corpus; ad formam machinæ quam Diabolum Carteſianum appellamus.

Omnes *Maris Mediterranei* cives.

IV. FISTULARIA: *corpore libero; tereti, longo, undique papilloſo, ſubcoriaceo; tentaculis oris plurimis, retractilibus, apice dentatis.*

Animal ſiphonizans; reciproce ſpirans; ex apertura laterali ori proxima fila emittens, poſt mortem.

SALPA.

α) Appendiculata.

30. SALPA maxima; *corpore utroque apice appendiculato.*

Descr. Inter omnes mihi viſas maxima, *latitudine* 2. poll. *longitudine* ſpithamæ. *Corpus* hyalinum, ſubquadrangulum, rectum, fere lineare; variante tamen figura. *Os* transverſum, latiſſimum. *Labia* infra apicem. *Anterior* pars obtuſa. *Nucleus* globoſus, obſcure-teſtaceus, cortice hyalino prominens, magnitudine nucis juxta dorſum. *Anus* maximus, diametro pollicis; ſub nucleo oblique pendulus, patulus. *Appendix ad anum* ſupra nucleum, ad dextrum latus, pollice longior, ſubulata, baſi ſuperne compreſſa. Appendix *anterior* a dorſo procedit, baſi utrinque plano-depreſſa, deinde conica, rigida magis & longa quam appendix caudæ. *Inteſtinum* a nucleo procedit teres, oblique verſus

verſus os tendens, transverſe ſtriatum, antrorſum attenuatum. *Motus* vivæ in jactatione appendicum, inque corporis ſyſtole & diaſtole, aquam forte transcolante, obſervatur.

Varietatem inveni corpore non pollicari; utraque appendice corporis longitudinem æquante. *Aliæ* obvenerunt, ſimiles quidem, ſed dorſibus cohærentes. Illæ ad *Yvicam*, hæ in *Archipelago*, & prima illa maxima in *Freto Gaditano*.

31. SALPA PINNATA; *ore terminali, linea dorſali hinc flava, inde alba, abdominis lineis duabus albo-rubentibus.*

DESCR. *Long.* 2. poll. *Craſſities* ſæpe major digito. *Corpus* hyalinum, ſubtriquetrum. *Nuclei* loco per dorſum extenditur *linea* flava, citrei coloris, opaca: huic alia linea alba interius ſubjacet, fere latior, ſubpellucida, incipiens remotius ab ore, & extenſa prope ad anum. Sub *Abdominis* plano ad utrumque angulum lateralem in medio videtur *linea* albido-violacea, multo brevior & arctior dorſali illa. *Anus* & *Os* terminale. *Inteſtinum* per corpus oblique tranſit pellucidum, anterius paulo attenuatum, transverſe ſtriatum ſubtiliter. *Appendix* in dorſo prope os, pinniformis, triquetro-prismatica; longitudine diverſa; interdum pollicis.

OBS. 1) *Aſſociantur* plures, vidi usque ad 10. & 11. in unum centrum conjungentes apices appendicum dorſalium: interdum alternatim remotiores: interdum minus ordinate collocatæ. Globulus hic ſocialis, ſtellas refert radiantes & venuſto ordine unitas; ſed in Sp. V. foedus ſolvit. Salpæ hujus *motus* ut congenerum. In Sp. V. nulla exſerit vincula abdominalia; ut plures ſolent aliæ hujus ordinis.

2) *Varietas*: lineis abdominis longioribus interruptis. Et hæc & prior, in *Mari mediterr.* frequentiſſima Non procul a rupe *Belgran* juxta Inſulam *Yvicam*. *Majores* iſtas ſociales, & *ſtellulas*, ungue minores inveni; quid? quod intra Salpas ventricoſas, viſæ mihi ſint *parvulæ* libere natantes, caſu, neſcio quo, ingreſſæ!

32. SALPA DEMOCRATICA; *punctata, faſciata, aculeis pone octo.*

DESCR. Ovalis: digitum latum longa: ſubtetragona: antice truncata. *Venæ* corporis & *nucleus* baſeos cæruleo colore & circa hunc, in nonnullis *Circulus* multi-radiatus, pallide-cæruleus. *Os* terminale. *Cauda* biſeta; pilis duobus, corporis $\frac{2}{3}$. partes æquantibus. Præterea; ſupra caudam *aculei* duo breves longitudinaliter poſiti: ſuperius ab utroque latere aculeus unus juxta dorſum, alter ad baſin ani. Quando corpus per oris aperturam inflatur, operculum ani triangulare, ſe conſpiciendum præbet. *Motus* peragitur contrahendo ventriculum & aquam expellendo. *Uniuntur* ordine bino: dorſo hujus obverſo ventriculo alte-

 rius,

rius, nucleos oblique erigendo: ordo autem uterque latera lateribus opponit ſæpe oppoſite, interdum alternatim. Ex aqua ſublata ſtatim ſeparatur ſocietas.

Ad *Majorcam* incredibili copia implebant retia, quam primum aquis immittebantur.

33. SALPA MUCRONATA; *ore laterali; mucrone hyalino, interno ad frontem dextro, ad anum ſiniſtro; nucleo cæruleo oblongo.*

DESCR. Digitum transverſum longa: oblongo-ovata; antice obtuſa, pone acuta; abdomine planiuſculo, dorſo convexiore, tota hyalina, præter nucleum & venas aliquot cæruleas. *Venæ* decurrunt linea una craſſiore junctæ e nucleo verſus os oblique: circa os formant annulum pentagonum: deinde in lineam iterum conveniunt, ad medium dorſi exeuntem. *Nucleus* opacus, oblongus, cæruleus, antice flaveſcens in medio corpore. *Faſciæ* transverſæ, obſoletæ. *Os* infra apicem, transverſum. *Mucro* internus, hyalinus: unus, ante os, ad dextram corporis (ore & abdomine deorſum verſo); alter ad ſiniſtram, juxta nucleum. Cohærent vivæ ſeriebus plurimis longitudinalibus, laminarum inſtar, & lateribus junctis lineas obliquas transverſim formant. Ex aqua depromtæ, facile ſecedunt. Ob mollem corporis ſubſtantiam, forti egent Sp. V. ſi conſervandæ ſint.

In vicinia *Tvicæ* reticulis expiſcata.

β) APPENDICE NULLA.

34. SALPA PUNCTATA; *ore ſubterminali; dorſo rubro-punctato, pone mucronato; ano porrecto.*

DESCR. *Corpus* hyalinum, ſeſquipoll. longum; craſſitie digiti. *Os* ad marginem, transverſum; infra apicem. *Frons* truncata. *Dorſum* punctis incarnatis, ſparſis; ex punctis minoribus compoſitis in formam irregularem ſtellularum; ſed microſcopio opus ad ea detegenda. Dorſum pone declive, terminatum non procul a nucleo mucronulo gelatinoſo. *Nucleus* globoſus, opacus, ferrugineo-flaveſcens; in partis imæ medio. *Abdomen* obſolete-faſciatum. *Inteſtinum* obliquum a nucleo verſus os filiforme, transverſe ſtriatum. *Anus* ad latus abdominis cylindricus; duplo latior, quam longior, recte protenſus.

In *Mari mediterraneo* rarior; extra fretum Hiſpanicum majori copia. In Sp. V. facile collabitur.

35. SALPA

35. SALPA CONFOEDERATA; *ore terminali, dorſo gibboſo.*

DESCR. Digiti minoris craſſitie: pollice longior. *Corpus* ſubtetragonum, hyalinum, molle. *Dorſi baſis*, quæ nucleum ambit, rigida, corpore latior, angulo medio dorſi & laterum ſubtrigona, ſubtus excavata. In plerisque ad utrumque angulum lateralem *Spinula* obtuſa, prominula; in aliis deficit. Rigida hæc pars velut truncata antice videtur. *Gibbus* in dorſo ante nucleum, ſubrigidus; ab utroque ejus latere ſpina acuta, prominula. Antice in dorſo prope os, ab utroque latere gibbus, ſeu ſpinula major, obtuſa, rigida, patens. In medio dorſo, ab ore remotius duo tubercula minora, erecta, rigida. *Nucleus* globoſo-ovatus, minor lente, obſcure-bruneus. *Os* & *Anus* terminales. *Labia* ani, ſæpe & oris adſperſa punctis fulvis. *Linea* alba e nucleo orta perlucet, tranſiens per medium dorſum: & *Inteſtinum* ſub-cylindricum, eadem via procedens, oblique ad labium oris inferius; transverſe ſtriatum. *Motus* patet labiorum ejectione & inflexione & corporis ſyſtole atque diaſtole; ſic loco ſe movet & aquam percolat. Sociales *cohærent* totis lateribus parallelo ordine, craſſam membranam conſtituentes, in qua omnia ora in uno margine, in altero omnes nuclei. Hæc membrana duplici conſtat ſerie, vel duplici lamina compoſita animalibus; ita ſibi unitis, ut dorſa omnia introrſum, ventres extrorſum vertantur: id eſt, alternatim; adeo ut, unius membranæ hoſpes dorſum *interſerat dorſis duorum animalium* alterius membranæ.

Extra *fretum Hiſpanicum*: & in *Archipelago* ad Inſulam *Serigo*.

36. SALPA FASCIATA; *ovato-oblonga; ore terminali; abdomine faſciato; inteſtino filiformi incurvo ſupra nucleum.*

DESCR. *Corpus* ſeſquipollicare: digiti craſſitie; hyalinum. *Os* terminale, in medio. *Abdomen* faſciis 5. pallidioribus; totidemque obſcurioribus, alternis. *Inteſtinum* obliquum, ſubulatum. *Nucleus* marginalis, ferrugineus. Supra illum quaſi *Inteſtinum* parvum, filiforme, transverſe-ſtriatum; primo curvatum, dein apice incurvum magis, longitudine unguis. *Anus* conico-truncatus, in medio ſubtus.

Ad Ingreſſum *Archipelagi* rarius.

37. SALPA SIPHO; *ſubcylindrica, obtuſa, hyalina; nucleo bruneo; fronte tubulis duobus, apicibus perforatis, rubris.*

DESCR. Vix digitum latum longa: penna anſerina anguſtior: hyalino-alba. *Nucleus* prope baſin, globoſus, bruneus. Inde verſus ocellum, quod rubrum eſt, extenditur *Inteſtinum* fuſco-cæruleum, filiforme, ductu anguli recti vel ut litera S. *Apex* obtuſus, tubulis binis, quorum ſinguli

guli apices patent *circellis* miniaceis. Tubi hyalini, prominuli, remotiuſculi: alter, forte os? cauda alter? nam ſigna alia non vidi harum corporis partium: dumque vivum preſſi animal, e quovis tubo aqua alte proſiliebat. Hæc membra affinitatem monſtrant generis Salpæ & Alcyonii.

In Mari rubro ad *Djiddam* copioſe ad littora; baſi affixa ſaxis marinis vel Spongiæ offic. violaceæ.

38. SALPA AFRICANA; *ore terminali; ſubtriquetra, transverſe decem-ſtriata; gibbo ad baſin, aucto nucleis tribus.*

DESCR. Longitudo ſeſquipoll. craſſities digiti minimi. *Corpus* hyalinum ſubtriquetrum, dorſo angulato, abdomine plano; transverſis ſtriis decem. Ad baſin dorſi erigitur velut *pinna* craſſa, ab ano ad dimidium dorſum extenſa. In ejus baſi juxta anum *Nucleus* eſt opacus, bruneus, globoſus. Ad apicem pinnæ alius nucleus globoſus, ſubpellucidus, albidus. Inter utroſque alius albidus, figuræ retortæ, apice priorem bruneum tangens. *Anus* & *Os* terminales. *Motus* congenerum mechaniſmo peragitur, aquam corpore expanſo hauriendo; & contracto expellendo per utroſque apices; qua arte procedit, ore præeunte.

Ad littora *Tunetana* capta.

39. SALPA SOLITARIA; *hyalina, ovalis, ore terminali tubulo cæruleo; ano laterali cæruleo.*

DESCR. Digitum latum longa: unguem lata, depreſſiuſcula. *Nucleus* prope baſin in medio, pallide-bruneus, globoſus. Inde *Inteſtinum* flavo-vireſcens, duplici curvatura, literam S repræſentans, decurrit ad *foraminulum* ſphincteri-forme laterale, ori quam baſi propius, cæruleum. *Frons* obtuſa, tubulo in medio prominente, cæruleo, ſubradiato, denticulato, lineæ longitudine; ſed parte dimidia intra corpus retracto. Animal claudit hoc orificium dentes terminales connivendo in hemiſphærii formam.

In Mari rubro ad *Djiddam;* gramini adhæret baſi obliqua, immobilis.

40. SALPA POLYCRATICA; *ore infra apicem; fronte caudaque truncatis.*

DESCR. Longitudo ſeſquipoll. Latitudo digiti minimi. *Frons* plana; duobus *circellis* impreſſis; ſat diſtinctis, præſertim, quum e Sp. V. eximitur. An Oculi? *Os* transverſum ſubtus infra apicem. *Nucleus* globoſus, fuſcus. Abdomen *faſciis* 5. transverſis, latis, linearibus, totum corpus ambientibus. In vivo animali vix apparent: at in Sp. V. conjecto, manifeſtiores evadunt. *Anus* a cauda remotus. *Inteſtinum* cylin-

cylindricum oblique percurrens. Denticulus ſub cauda. *Rigidior* hæc cæteris omnibus ſui generis; formam optime ſervat in Sp. V. & in vino combuſto. Una mercurio repleta & ſiccata, formæ veſtigia primæ optime retinuit excuſſo mercurio. *Cohærent* ſocietate mira: dorſum dorſo obverſum; ita tamen, ut una adhæreat duobus dimidiis dorſis aliarum. Sic ora omnia extrorſum ſpectant. Sæpe plurium ulnarum funiculo ſociali ſerpentum more ſe volvunt; dum ventriculi ſyſtole & diaſtole aquam transmittunt, fluminis inſtar, per longam hanc ſeriem; & hac arte reſpublica natat.

Extra *fretum Gaditanum.*

PTEROTRACHEA.

41. PTEROTRACHEA CORONATA; *ventre caudaque pinniferis; capitis proboſcide tereti, perpendiculari; frontis coronula aculeis decem.*

DESCR. *Corpus* ſubteres: craſſitie pollicis: longitudine fere ſpithamæ. *Caput* antice rotundatum; coronula in fronte ſpinis 10. conicis: harum tres utrinque conſtituunt lineas medias perpendiculares: extra illas ſuperne utrinque duæ, una ſupra alteram. Infra coronam *Proboſcis* dependet, fere duos pollices longa, nervo medio & apice in capitulum incraſſato, albido: ore terminali. Apex hyalinus: & tota proboſcis gelatina farta videtur: ſub illa maculæ albidæ, parvæ, ſparſæ interdum. Oculus uterque ad nucham interne prope marginem; hinc ſatis ab invicem remoti; conſtant macula ovali, transverſa, fuſca; cui introrſum imponitur *infundibulum*, ſeu conus inverſus, obſcure teſtaceus; recipiens ſphærulam hyalinam, ſimilem bullæ aereæ. *Truncus* ab oculis ad caudam fere cylindricus; pone ſuperne rotundatus, nec niſi baſi cum cauda conjunctus, lævis, immaculatus: inferne juxta pinnam albomaculatus: abdomen ſubtus totum aſperum. Ante pinnam *Sacculus* duplex, an gula? ovatus, pendulus, hyalino-maculatus. *Anus* proxime ſupra ligamentum caudæ. In quibusdam ſupra anum in extremo trunco *nucleus* globoſus, albidus, lente minor. *Cauda* verticalis, pollicaris; antice, ſed inferius longo collo adnata trunco; cæterum triangularis, utrinque lineis 4, aculeatis; angulato-ſcabra, terminata pinnula utrinque horizontali, ſemicordata, cauda quater breviore, prominente ultra caudæ apicem; ubi margine incumbit margini caudæ. *Pinna* pone medium trunci, orbicularis, diametro pollicis, compreſſa, baſi incraſſata, laminisque trunci albis utrinque crenatis, affixa. Subtus in margine pinnula alia, campanulata, puncto medio affixa, hyalina.

In *Mari Mediterraneo & Archipelago.*

42. PTEROTRACHEA HYALINA; *capite elongato, porrecto, lævi; pinnula centrali.*

DESCR. Gelatinoſa, hyalina, vix pollicem longa: craſſitie pennæ columbinæ. *Caput* antrorſum porrectum, elongatum, corona nulla. *Oculi* interni ad baſin capitis. *Pinnula* ſubrotunda: ſub medio corpore. *Gula* dependens nulla; nec in dorſo nucleus. *Anus* ſine pinna, attenuatus. Pellucidum animal vix diſcernitur in aqua, niſi oculis ſuis fuſcis & motu celerrimo.

43. PTEROTRACHEA PULMONATA; *capite obtuſo, hyalino: inteſtino reſpiratorio plumis ciliato.*

DESCR. *Corpus* gelatinoſum, hyalino-ruſeſcens; ab apice capitis ad nucleum pone dorſum ſeſquipoll. ſed craſſitie digiti minimi: ſubcylindricum. *Caput* a trunco non diſtinctum, obtuſum; *ore*, parum intra apicem, transverſo. *Oculi* interne poſiti, perlucentes; conſtantes utrinque macula ovali, transverſa, nigra, & juxta hanc antrorſum bullula quaſi aerea hyalina, circulo nigro ambiente. *Truncus* ſubcylindricus; ſuperne ad dorſi tertiam partem a capite transverſe impreſſus; juxta caudam elatus, rotundatus: *ſubtus* inter caput & pinnam gula quaſi duplici, dependente, medio emarginata. Sub medio abdomine maculis, ſeu punctis albidis, opacis, plurimis; Eodem loco *Pinna* ſubrotunda, longitudinalis, diametro pollicis dimidii, compreſſa, hyalino-ruſeſcens, verſus marginem prorſus hyalina, nervis obſcuris, tenuibus. Pone pinnam abdomen contrahitur. Intus *cylinder* trunco dimidio anguſtior; inque illo *inteſtinum* filiforme a capite ad nucleum caudæ flexuoſum; ante ſubalbidum, pone ruſeſcens; inſinuatum *membro* opaco inter dorſum & caudam, ovato; erecto in multis, in aliis proſtrato: pinna dimidio breviore; violaceo, baſi fuſco: obſito gelatinoſa ſubſtantia; in qua pulſatio qualiscunque cernitur: dimidio ſuperiori ciliato papillis filiformibus, plumuloſis, albis, flexilibus; pone & ante nudum, liberum. *Cauda* hyalina, compreſſa, attenuata, nervis obſcuris: $\frac{1}{2}$. poll. longa. *Motus* ope pinnæ & caudæ inſtituitur, quas vario ſitu flectit.

44. PTEROTRACHEA ACULEATA; *ventre aptero, cauda trunco longiore, lineis aculeatis; pinna terminali, horizontali.*

DESCR. *Corpus* longum $2\frac{1}{2}$. poll. hyalinum. *Nucleus* opacus, flaveſcens, ovato-acuminatus, ſimilis fere ſemini citri, erectus, pollicem a capite remotus; circumdatus gelatinoſa ſubſtantia pellucida, alba; pone tenuior, lateribus craſſior, circumcirca ſoluta vel libera, nec niſi baſi affixa corpori. Nec tamen longe ultra corpus eminet; ſed antice trunco, cauda poſtice

poſtice circumdatur. Ad latus ſiniſtrum *lobus* quidam antice annexus, ſubtrigonus, ſuperne criſtatus plumula, ſeu ramulis albidis, confertis. *Truncus* ſeu pars ante nucleum compreſſus, digitum latum craſſus, ſuperne & ſubtus undique convexus; plica lateris dextri antice oblique tractus: (ſed ſuſpicor, errorem a naturali forma abſcedentem; nam animal ad me delatum mortuum, vel ſine indicio vitæ;) ſubtus ante nucleum conſtrictus, hyalinus: perlucet in medio *cylinder* albus, digitum minimum craſſus, baſi venis albidioribus; antice oblique dextrorſum tractus, ut ſubſtantia corticalis; quod tamen abortivum mihi apparet: terminatus gelatina aquea, in cujus medio os orbiculare, pennæ anſerinæ latitudine. *Cauda*, ſeu pars corporis pone nucleum, trunco plus duplo longior, compreſſa, enſiformis, ovato-acuminata, hyalina, infra & ſupra marginata limbo tenui, lineari, pinnæ anguillæ fere ſimilis. Latera medio longitudinaliter angulata, & *aculeis* retrorſum verſis ſcabra Medio inter hanc lineam & marginem ſuperiorem eſt alia linea aculeorum minorum: ſimilis & infra. Juxta limbum caudæ ſuperiorem aculei parvi & remotiores; etiam juxta nucleum corporis in margine ſiniſtro *Interne* pellucent utrinque duæ *lineæ* longitudinales albidæ, principio filiformes; ante-mediam caudam usque ad apicem in laminas dilatatæ. *Pinna* caudæ horizontalis, duplex; utrinque enim una ſemicordata, digitum latum brevior, ad caudam parte ſemiovata, transverſe ſtriata, utrinque aculeis ſparſis hiſpida, ultra caudam tertia parte prominens, ibique margo unius pinnæ alteri incumbit.

Alia occaſione pars poſtica hujus animalis inventa eſt, cui pone erat appendiculata *Tænia* quædam viva, compreſſa, filiformis, alba, geniculis nigris, varie ſe flectens articulos elongando vel contrahendo.

Ad ingreſſum *Archipelagi.*

PHYSSOPHORA.

45. PHYSSOPHORA HYDROSTATICA; *ovalis; veſiculis lateralibus, trilobis plurimis, extrorſum apertis; inteſtino medio & tentaculis quatuor majoribus, rubris.*

DESCR. Craſſities pollicis, longitudo ſeſquipoll. ovalis, compreſſa. Supra *veſicula* terminalis, ovato-oblonga; pennæ columbinæ craſſitie, erecta, exſerta, aere ſemper plena. Ad utrumque latus *veſicæ* unius ordinis hyalinæ, trilobæ, una ſupra alteram: in uno latere tres, in altero quinque obliquæ; ſed puto irregulari figura. *Lobus* extimus truncatus, ore orbiculari, limbo retractili & expanſili. *Inteſtinum* medium, penna columbina anguſtius, extenditur a veſicula terminali ad ventriculum globoſum;

boſum: filiforme, apice hyalinum, reliqua parte rubrum, baſi craſſius. *Ventriculus* in ima parte inter veſicas trilobas, globoſus, cavus, ruber, ore orbiculari, *Tentaculis* ſeu papillis albidis, contortuplicatis, dum non extenduntur: atque *Veſiculis* globoſis, diametro inteſtini, flavis, ad alterum latus 5, ad alterum 3. *Tentacula* majora ſubtus ad latera ventriculi, rubra: uni lateri 3; duo ſcilicet majora, pollicaria, unum brevius, pennæ columbinæ craſſitie; verſus medium incraſſata, capitulo terminali albo. Lateri alteri duo minora: unum, apice apertum, ſecundum, inteſtino anguſtius, ſubulatum, ſemipollicare.

Vidi ALIAM, Tentaculis majoribus, ſubæqualibus. *Motus* mirus: veſicæ aereæ apicem ſemper in ſuperficie tenet aquæ: Veſicis trilobis tremit, limbum oris retrahendo & propellendo: Tentacula ventriculi extendit & torquet; cornua quaquaverſum tendit.

An *Meduſa marſupialis* LINN.?

46. PHYSSOPHORA ROSACEA; *orbicularis; imbricata foliolis oblongis, horizontalibus, veſicæ affixis.*

DESCR. Non abſimilis *flori* pleno deorſum inclinato. Tota hyalina, diametro pollicari. *Folia* ſemipoll. oblonga, obtuſa, plana, decurva, numeroſa plurium ſerierum, denſa, mobilia, ad veſicam aeream ſeſſilia. *Veſica aerea* in medio, ovata, obtuſa, ruſeſcens. Tentacula nonnulla ſubtus, filiformia, fuſceſcentia, varie dilatabilia; interdum foliis longiora. In Sp. V. veſica ſola cum tentaculis perdurat, cætera delabuntur.

47. PHYSSOPHORA FILIFORMIS: *membris lateralibus oblongis, filiformibus, dependentibus.*

DESCR. Longitudo varia; usque ad ſpitham. Craſſities fili. Tota hyalina, gelatinoſa, dependens; ſuperne capitulo ovato, obtuſo, magnitudine ſeminis oryzæ, in quo bullula aerea oblonga, apice ruſeſcens. *Membra* lateralia ſæpius *ſecunda*; i. e. uni lateri affixa, ſeſſilia, pendentia, ſuprema glandiformia; inferiora ſenſim majora. Vario gaudet *motu:* ſæpe ruſeſcunt: ſæpe ad latus *ſeta* longa, dependens exit. *Apex* infimus; mihi nondum obſervatus. Servanda in Sp. V. totum filum in capitulum contrahit, & ſibi valde diſſimilis evadit, quare melius eſt, ut in aqua prius moriatur; dein collocentur ſingulæ proprio vitro, ne implicentur. Vivæ, veſica aere plena, tamen ſubſidere poſſunt; dum corpus arctando, ſe reddunt ſpecifice graviores. Tenerrimæ ſunt ſubſtantiæ; quapropter raro habentut illæſæ.

FISTU-

FISTULARIA.

48. FISTULARIA vittata: *corpore molli, laxo; tentaculis lineari-lanceolatis, lateribus dentatis; tota vittis albis, fuſco-punctatis.*

Descr. *Corpus* ſeſquiſpithamale; digiti minimi craſſitie: ſæpe articulatum: una ſerie *tuberum* transverſalium ſequente vittas albas. *Vittæ* 5 latæ, albæ; nigro-punctatæ & fuſcæ alternatim anguſtæ: & in ſingulis his, una ſeries longitudinalis *guttarum* albidarum. *Tentacula* capiti proxima 12: *rachis* prominente carina convexa introrſum: media fuſca, lateribus pallida; dentibus lateralibus medio fuſcis, utrinque pallidis: duplo longioribus diametro rachis transverſali. Viva Fiſtularia incurvat alternatim expanditque tentacula; ſed flectendo retrahit parum dentes. *Glutinoſis* papillis adhæret digito.

Ad urbem *Lohajam*, inter *Zoſteras* frequens in fovea, refluente aqua. *Varietas* vittis albis interruptis; cæterum ſimillima. Arab. omnes hujus generis vocant *Zibb elbáhr.* زب البحر

49. FISTULARIA reciprocans; *tentaculis lineari-lanceolatis, utrinque ramoſis.*

Descr. *Corpus* molle, vix dig. craſſum; longum ſeſquiſpith. *Coarctare* valet unam corporis partem usque ad fili tenuitatem, dum alteram diſtendit. *Tentacula* fuſca: fere pollicaria: 12 & plura: acuta, lineari-lanceolata, utrinque dentata: animal ea ſemper movebat, non vero prorſus recondebat: morienti exibant *fila* albida e foramine ad caput. *Papillæ* glutinoſæ undique corpus tegunt; oculo tamen non diſcernendæ. *Diſcus* planus, centro pallidus, inter Tentacula; quibus animal perpetuo ludit ea retrahendo & emittendo alternatim; haud aliter ac ſi novas ſemper protruderet linguas.

Ad littora prope *Suès.* *Lohajæ* vocatur *Hánnaſch elbáhr.*

50. FISTULARIA maxima; *corpore rigido, ſubtetragono, ſupra convexo, ſubtus albo, plano, marginato; linguis filiformibus, apice peltato-laciniatis.*

Descr. *Corpus* pedali longitudine: diametro poll. 2½. durum; papillis ſcabrum: ſuperne convexo trilaterale, nigrum: ſubtus planum, album, utroque latere margine prominulo. *Linguæ* plurimæ, cinereo-hyalinæ, filiformes, apice peltato-multifidæ: non ſemper exſertæ ore. Illa, ut congeneres aquam ex ore longe diuque tanquam e ſiphone projicit.

Djiddæ rarior, *Lohajæ* frequens: *Mochhæ* paſſim; in littore ſæpe ſicco recubans, refluente aqua.

51. FISTULARIA impatiens; *corpore rigido, cinereo: tentaculis 20. filiformibus, apice pelta ſubſeptemfida, denticulata.*

Descr. *Corpus* long. ſpith. craſſ. digiti: (ſed varia mole ſe inflat & attenuat) duriuſculum; verrucis hemiſphæricis, approximatis, mammilliformibus, in medio papillam albidam, obtectam exſerentibus. *Color* cinereus, faſciis maculisve inordinatis, obſcuris. *Tentacula* 20; in viva, aut nuperrime mortua numeranda: unguis longitudine, filiformia, hyalina, nigro-punctata, apice peltata lamina ſubrotunda; ſæpe ſeptemfida, obtuſe denticulata. Poſt tentacula cutis limbus extenditur membranaceus, multidentatus. Si tangitur viva, omnia retrahit tentacula & cutem reſtringit adeo, ut exiguum tantum foramen appareat eodem loco. Moriens aperit foramen, a capite unguis latitudine diſtans, unde fila quædam procedunt. Papillæ corporis glutinoſæ. An *Hirudo muricata?* Linn. nam tentaculis occluſis, prorſus Hirudinem refert. An *Pſeudo-Polypus?*

Ad littora *Suës* paſſim, ſub lapidibus, vel in poris Spongiæ offic. viol.

II. TESTACEA.

CARDIUM.

52. CARDIUM auricula.

Obs. Inter ſpecimina rerum Naturalium numeroſa & rara, quæ REGI clementiſſimo ex Ægypto & Arabia transmiſit b. m. Prof. *Forſkål*, concha hæc locum habuit; jam conſpicienda in theſauro exoticorum magnifico Illuſtriſſimi Comitis Dn. Moltke. Ignota prorſus non eſt eruditis; delineata a *Regenfuſio* in tab. IX. Voluminis 2. adhuc inediti. Media inter *Cardium retuſum* & *hemicardium*: Linn.

Teſta alba, pellucida; cordata, ſub-rhombea, dorſo convexo; junctura elata, acuminata. Venter obtuſior, lævis, vix ſulcatus. Valvulæ æquales. *Striæ* longitudinales utriusque teſtæ 24: lateris inferioris *denticulis* æqualibus, obtuſiſſimis. *Sulci* intermedii ſubtiliſſime crenulati. *Anſæ* (nates) diſtantes, ſpira introrſum verſa, obliqua. *Sinus* profundus, lævis, lunaris. Margo dorſalis ad ſinum continuatus, ſub anſis revolutus, juncturam cardinis tegit, forma ſemilunulæ vel *auriculæ*, margine dentato. *Dens* remotior (ventr.) exſtans. Sub illo intus *ſcrobiculus* profundus, cui adjacet tuber longitudinale. *Limbus* teſtæ e ſinu ad apicem ſenſim latior, ſuperficie ſuperiore depreſſior, tenuis; margine dentato. Longitudo Conchæ poll. $2\frac{1}{4}$. latit. $1\frac{3}{4}$. craſſities $1\frac{1}{2}$. (*Editor.*)

VENUS.

53. VENUS globosa; *teſta ſubgloboſa, alba, lævi; ano non diſtincto; margine lævi.*

Obs. Ad littora prope *Suës* projecta teſtis ſolitariis; geminis perquam raris. Plerisque dentes cardinis detriti: In utraque teſta duo; quorum alter bilobus. Sub vulva interne ad marginem canaliculus latus, inter duos margines prominentes. Externa facies *Cardii*.

54. VENUS

54. VENUS CORDATA; *gibba, transverſe ſulcata; ano diſtincto, ovali oblongo; margine integerrimo.*

Anus ſtriatus, ſubconvexus. Concha varii coloris. Communiſſima ad littora *Maris rubri:* edulis. Arab. *Qouqa.*

MYA.

55. MYA OVATA; *teſta ovata; cardinis dente primario horizontali, altero erecto ſubulato: in altera teſta bifido.*

Color griſeus, intus violaceus. Teſtæ bipollicares; modice convexæ. Edulis.

56. MYA PICTORUM. Arab. *Mahar.* Ad ripas *Nili.*

Dens cardinis *anterior* triangularis, erectus, acutus; *poſterior* longior, craſſior, dentato-ſerratus. Valvæ breviores quam *Myæ pict. Europeæ.* Intus colore albo-violaſcente.

SPONDYLUS.

57. SPONDYLUS PLICATUS; *teſta inaurita, ovata, depreſſa, plicata, flavido-alba, plicis inermibus, vel ſquamis fornicatis, elatis.*

DESCR. Longitudo ſeſquipoll. Depreſſa teſta, certo loco affixa. *Plicatura* eſt. Mytili *criſta galli:* ſed cardo Spondyli: baſis rotundata; verſus cardinem in acumen vel angulum rectum coit. In utraque teſta intus Callus. Integræ monſtrant in dorſo plicarum ſeriem unam *ſquamarum,* erectarum, fornicatarum. In pleriſque detritæ erant.

Juxta *Suës.*

ARCA.

58. ARCA MULTISTRIATA; *teſta lenticulari, inaurita, multiſulcata; margine recto, integerrimo; natibus inflexis.*

DESCR. Diameter infra poll. teſta leviter convexa, ſtriis multis propinquis, longitudinalibus: aliis transverſis, vix conſpicuis. Margo integerrimus, latiore ſpatio planatus.

OSTREA.

59. OSTREA MACULOSA; *purpureo alboque varia; coſtis octo, interſtitiorum ſtriis ſquamato-imbricatis, pectine auriculis inæqualibus.*

Teſta ſubrotunda, utrinque convexa. Canales interni remoti 7. vel 8. Margo tuberculoſus. *Suës* parcius.

60. OSTREA SUPERFICIALIS; *teſtæ coſtis planiuſculis, inæqualibus: (ſæpe alternis latioribus) ſquamis erectis, imbricatis.*

Subrotunda; utrinque depreſſa, coſtis parum elatis, planatis, inæqualibus. Teſta 2. poll. longa: pellucens, violacea, fragilis. *Suës.*

61. OSTREA FORNICATA; *rudis, teſta oblonga, lineari, cardinibus divergentibus, interne fornicatis.*

Griſea. Longitudine digiti. Edulis.

62. OSTREA REGULA; *teſtis planiuſculis; cavitate ſubquadrata, abbreviata; cauda triplo-longiori lineari, antrorſum vel ad latus porrecta.*

DESCR. Ferruginea: linearis, recta, vel curva, vel angulo recto flexa; polymorpha: longa 3. poll. digito latior; plana. Foſſula cardinis ut in congeneribus. Cavitas pro ſede animalis perexigua; ſubquadrata, obſcure-cærulea. Cauda obſcure-ferruginea. Teſta valde fragilis. *Suës.*

ANOMIA.

63. ANOMIA TRIDENTATA; *teſtis inæquivalvibus; ad juncturam tridentatis: teſta longiore angulo baſeos marginata.*

DESCR. Magnitudo nucis. *Teſta* flaveſcens, teſtacea, pellucida, tenuis, ſumme fragilis, inæquivalvis, nucleo animalis perlucente fuſco: Antice, i. e. ad juncturam truncata, cono in medio prominente acuminato: lateribus planatis, depreſſis, angulo recto acuminatis. *Teſta longior*, obovata, tertia parte ultra alteram prominens; parte media gibba, ovata, marginata, quadriſulcata; ad baſin ſemilunaris, depreſſa, plana fere. *Teſta brevior*, hemiſphærica (angulis cardinis exceptis), glabra, baſi magis gibba & transverſe leviter ſtriata; ſtriis in medio curvatis; ad marginem baſeos admodum incurvata. In cavitate, qua teſta longior ſuperat alteram, animal duas exſerit *Alas* mobiles, compreſſas, transverſas, ſubrotundas, bilobas, ſingulas latitudine ipſius teſtæ: medio obſcure-violaceo craſſiore; margine hyalino, tenui. Inter has alas extenditur retrorſum *carina* ſubulato-compreſſa, violacea; baſi (i. e. antice) inſidens *Vexillo* elato, compreſſo, transverſo, mobili, ſemiorbiculato, utrinque alis alligato, hyalino, linea transverſa utrinque decurva, violacea in medio. Apices cardinis laterales membrana hyalina ambiente, triangulari, mobili, acuta: inter hanc & vexillum ad latus teſtæ decurrit alia ala hyalina.

OBS. Teſtæ tam arcte junctæ ſunt apice & margine, ut ſine fracturæ periculo, vel tantillum aperiri nequeant: quare ad Patellas videtur hæc Anomia propius accedere. Dum vivit, omnes alas celeriter movendo remigat; easque facile retrahit & recondit totas. Animal in Sp. V. interemptum teſtis exemi, & cardini tantum affixum vidi. Conſtabat placenta orbiculata, rugoſa, albido-vireſcente, medio fuſca; baſi juxta vexillum adjacebat globus flavicans, fere ſeparatus. Vexillo vero & alis explicitis, carina duobus labiis (& poſt mortem

mortem rubris) ſe ſiſtebat, perfecta veneris reconditæ imagine; cujus verecundiæ hac in Concha operculis conſuluit natura.

In *Mari mediterraneo* rarius; natans in pelago pacato.

PINNA.

64. PINNA PICTA; *cardine articulato; teſta ovata, glaberrima, fragiliſſima, obſcure violacea, nebulis radiisque pallidioribus.*

DESCR. Longitudo 4. poll. *Cardo* ſub hymene articulatus foſſulis in utraque teſta 8. contiguis, ſubrotundis. *Radii* e vertice nati albido-violacei, undulati; majores, remotiores: interque illos alii minores, velut ex punctis contiguis compoſiti. Omnium ſui generis pulcherrima; verum ad moderandam quaſi hanc ſuperbiam, Teſtaceorum omnium fragillima.

Suës in brevibus paſſim.

NAUTILUS.

65. NAUTILUS PERTUSUS; *anfractibus compreſſis, transverſe ſulcatis, longitudinaliter ſtriatis leviter; apertura poris pertuſa.*

DESCR. *Color* niveus. *Apertura* non alia, niſi pori ad marginem. *Anfractus* ad baſin recti, ſæpe dilatati: interdum lineares: apice ſpiraliter convoluti.

Suës, in arena littorea frequens, ſed minutus.

66. NAUTILUS ORBICULUS; *orbicularis, utrinque planus, ſpiris ſubconcentricis, moniliformibus; margine extus toto poris bifariam pertuſo.*

Totus albus: lente parum major. Niſi hic Nautilus eſſet prorſus planus, ſine ulla convexitate; facile haberem pro *Nautilite placentula*, in montibus *Kahirinis* calcareis petrefacto.

TROCHUS.

67. TROCHUS DENTATUS; *teſta ſubumbilicata: columella torta, labro emarginato, anfractibus oblique rugoſis, margine inferiore coronatis.*

DESCR. *Magnitudo* Trochi maculati. *Color* cinereo-albidus. *Umbilicus* nullus ſubtus; ſed ob contorſionem columellæ apparet quaſi initium umbilici. *Columella* baſi gibba, prominula; intus, quaſi obtuſus canaliculus. *Labrum* in ſemilunarem formam emarginatum. Subtus in vivo *Annulus* eſt colore viridi circa columellam. Apertura intus argenteo-nitens.

In *Mari rubro*. Græc. Κοχλιὸς Κοχ'λι. Arab *Nehed.* نهد *Rumpf.* 21. D.? *Trochus papuanus* ſeu *longævus*.

Edulis, coctus ſapore dulci.

68. TROCHUS NODOSUS; *teſta imperforata, conica, ſtriis transverſis nodoſis.*

DESCR. Teſta ſui generis magna, lata baſi 2. poll totidem alta. Forma prorſus conica. Subtus anfractus planatus, albus: lineis concentricis, elevatis interrupte rubris, vix nodoſis. Columella baſi callum obtuſum emittit. Teſta extus tam declivis, ut ſpirarum diviſio ægre appareat. Lineis elevatis multis, ex nodis concatenatis notatur. Tota colore ornatur albido maculis rubris obliquis. Apertura edentula?

Unicum, eumque mutilum vidi ad *Ghobeibe*, a meridie urbis *Suês.*

69. TROCHUS TRISULCATUS; *turritus; anfractibus longitudinalibus rugatis; ſtriis transverſis ſpiræ tribus, ventris pluribus; apertura ante & pone emarginata.*

DESCR. Longitudo 4. poll. *Color* flaveſcens. *Labium* exterius ultra ſpiræ limites ſuperne dilatatum; ad latus profunde emarginatum, quaſi urnæ margo. In ima baſi ſimilis effundentis facies eſt, ut in Muricis forma. *Apertura* quadrata. Labrum interius glabrum columellæ appreſſum. *Anfractus* longitudinales, rugis elatis, remotis: & lineis excavatis, transverſis, tribus, raro quatuor. In ima parte conchæ hæ lineæ plures quam 15.

Copioſe projectus per littora meridionalia *Lohajæ*; vix ullum integrum reperi. Piſcatores uno ore ajebant, ſe nunquam vivum vidiſſe hoc animal. Forte loca profunda, inacceſſa habitat.

TURBO.

70. TURBO NEBULOSUS; *neritoides; teſta late ovata, cinereo fuſcoque nebuloſa; transverſe ſerrata; ore argenteo ſtriato; columella unidentata.*

DESCR. Majores magnitudine *Helicis* capitis bovis: juniores, latiores, nigriores, magis ſtriati. Detrito externo cortice argentea patet teſta. *Columella* planata, lævis, albida: in medio *foveola* oblonga, excavata: baſi *dente* forti; vel potius canali inter duos dentes exciſo. *Labrum* interne argenteo-rubens; transverſe ſtriatum; maxime in junioribus.

Ad urbem *Tôr* frequens. Græcis coctus edulis. *Turbinis pulli* character incidit; notabilis tamen differentia dirimit.

71. TURBO DIVERGENS; *ſubumbilicatus; anfractibus rotundatis, transverſe ſtriatis; apertura prorſus ſeparata a ſpira.*

DESCR. *Color* ſanguineo-flaveſcens. Magnitudo fere nucis, ſed forma ſubovata. Anfractus initio a reliqua ſpira ſeparatur.

Frequens *Foſſilis*, in montibus ad *Eſiac* prope *Maſſiliam.*

72. TURBO DECLIVIS; *teſta umbilicata, ovata, transverſe ſtriata, anfractibus ſupra declivibus, plicato-coronatis.* Ad *Suês.*

DESCR.

Descr. Teſta vix poll. alta; ſæpe ovata; interdum ſubrotunda. *Color* albidus; ſtriis transverſis rubris. Subtus convexa, lineis elevatis, concentricis, interrupte-rubris. Sulcus prope umbilicum profundior; deſcendens ſpiraliter in ipſum umbilicum. *Anfractus* ut tecta ædium, ſupra declives, carinis elatis, longitudinalibus, baſi in angulum obtuſum prominentem terminatis: latera anfractuum perpendicularia, ſtriis transverſis, elatis, remote-nodoſis. Apex teſtæ depreſſiuſculus, obtuſus.

HELIX.

73. HELIX desertorum; *teſta umbilicata, ſubrotunda, depreſſiuſcula, anfractibus rotundatis, oblique ſtriatis, labio interiore nullo.*

Descr. *Apertura* obovato-ovalis: ſupra parum convexa, obtuſa. *Color* griſeo-ferrugineus, faſciis duabus tribusve transverſis, albidis. Subtus convexior quam ſupra. Diameter pollicaris: altitudo ſemipoll. *Labium* exterius ſine limbo.

Inter *Kâhiram* & *Suês* in arbuſculis deſerti.

74. HELIX arabica; *turrita; terreſtris; oblongo-conica, alba, ſubumbilicata, glabra; apertura muta.*

Descr. Vix pollicaris, dimidium digitum lata. *Umbilici* initium breve, formatum e labio interiore adſcendente. *Apertura* ovato-acuminata; *margine* ſubtus & lateribus dilatato, leviter reflexo, ſuperne ſpinis appreſſis, obſoletis. Color albidus. Vivum non vidi.

Lohajæ. Arab. *Hârhar.*

75. HELIX janthinæ.

Descr. Animal maſſa membranacea, pellucida gaudet, qua adjuvante natat, conſtante bullulis vacuis, inæqualibus; convexa, ovata, adhærente pallio animalis. Dum extendit partem corporis anteriorem, ſimul monſtrat *tentacula* utrinque duo, incurvata, ſubulata. *Color* obſcure-violaceus antrorſum & magis exterius. Omnia tentacula in eadem linea transverſa ſita. Prope ad marginem exteriorem teſtæ *Proboſcis* craſſa, ſæpe incurva: maxime autem ventricoſa dum gravidum eſt animal, & pennæ anſerinæ diametrum ſuperat; albida, violaceis punctis, baſi rugoſa. In ejus medio, duo *labia* majora ruſeſcentia, obſita pilis in lineis transverſis. Inter hæc, duo *alia* ſunt labia verſus tentacula, dimidio minora, albida, glabra, rima intermedia violacea. Janthina in vaſculo aqua marina pleno, viva ſervata; altero mane mortua, e labiis proboſcidis extruſit membrum globoſum apice umbilicatum, hyalinum, venis longitudinalibus, violaceis. In fundo vitri parvæ arenulæ videbantur puniceæ; quæ microſcopio inſpectæ, cochleæ erant, matrem teſta ſimulantes,

lantes, non colore; corpore quoque diſpari; nam ad aperturam duo vela transverſa, ſubrotunda, pilis tremulis ciliata; quibus pulli hi remigabant: quique ſine dubio ſoboles erant majoris conchæ; quum aqua aliis hoſpitibus non mixta fuerat. Quid? quod, in multis aliis vitris poſtea viderim Janthinas demittere tales conchulas, matrem circumnatantes. Matricem in proboſcide eſſe, putaverim, quum alia non apparuerunt ejus veſtigia.

NERITA.

76. NERITA CORNEA *Linn.*

In viva, *denticuli* 4. obſoleti, in medio labii anterioris. *Lineolæ* elevatæ, longitudinales, undecim interne in labio exteriore. *Labium* interius plano-concavum, læviſſimum. Teſta rudis, transverſe obſolete ſulcata.

In *Mari rubro.* Edulis, cocta ſapida. Arab. *Lyſſeiq.* لزيق

SERPULA.

77. SERPULA CINEREA; *teſta filiformi, glabra, conglomerata, in mole pertuſa.*

Teſtæ craſſitie fili confertim & flexuoſe repentes: fruſtum pugni mole, magnis cavitatibus diverſo modo pertuſis: microſcopio aſpectæ glabræ & farina quaſi conſperſæ; colore cinereo albidæ. A *Serp. intricata* differt glabritie teſtæ & modo creſcendi.

Maſſiliæ.

III. ZOOPHYTA.

GORGONIA.

78. GORGONIA CERATOPHYTA; *ramis diſtichis, ſubdichotomis, compreſſiuſculis, ſtriatis, divaricatis, cortice glabro, albido, rubro-maculato.*

DESCR. *Cruſta* albo-flava; ad utrumque latus caulium ſerie duplici punctorum obſcure-violaceorum. *Medulla* carnei coloris & ſubſtantiæ; longitudinaliter ſtriata. *Rami* varie flexi in eodem plano; & retis figuram formantes; quamvis non ſint connexi.

Maſſiliæ.

79. GORGONIA VERTICILLATA; *ramis diſtichis, alternis, cruſta alba, anguloſo-articulata, anſulis incurvis, verticillatis.*

DESCR.

Descr. *Medulla* teres, albida, fili groſſioris magnitudine. *Rami* recti, alterni, diſtincte poſiti, cruſta albida, verticillata, angulis teretibus, incurvatis, ramis minoribus quaternis: majoribus quinis, ſenis &c.: verticillis approximatis.

In *Africa.* Arab. *Ærk el hir.*

80. GORGONIA spongiosa; *ramoſa; cortice ſpongioſo, fuſco, quincuncialiter pertuſo; craſſiore medulla; ſubſtantia carnea.* In *Africa.*

Descr. *Medulla* nigra, longitudinaliter ſtriata: diametro quadruplo minore quam cortex. *Rami* ad baſin recti. *Cortex* ſpongiam prorſus refert: ſed Aquaforti fervet: ut & cruſtæ Gorgoniarum omnium: pertuſus ſcatet poris magnis, ſæpe ordine quincunciali diſpoſitis.

81. GORGONIA verrucosa; *ramis alternis, erectiuſculis; cruſta verrucis ſparſis.*

Descr. *Caulis* dichotomus, teres, penna columbina tenuior: *rami* ad baſin ſemper curvi, dein erecti. *Medulla* teres, glabra. *Cruſta* verrucis inæqualibus ſparſis; ſæpe oblongis: apice (dum maturæ) longitudinaliter fiſſis & apertis.

Variat. a) *Cruſta alba*, verrucis oblongis, humilibus, medulla fuſca.

b) *Cruſta flava*, interdum ad radicem rubra: verrucis ſolum ad marginem: ramis externe compreſſis, glabris, medulla cinereo-cornea: an ſpecies diverſa?

c) *Medulla nigra;* cruſta alba; verrucis elatis, ſubrotundis, margini propinquis; unde caulis videtur compreſſus.

Maſſiliæ a) & b). - *Corſicæ* c).

ALCYONIUM.

82. ALCYONIUM phusca; (Gr. *φȣσκα.*) *corpore affixo; tereti, oblongo; cruſta coriaceo-ſtupoſa; apertura duplici laterali, ſphinctere inſtructa.*

Descr. Longitudo 2½. poll. craſſities 1. poll. *Corpus* rubrum, læve, ſubteres, utrinque obtuſum; varia forma; interdum rectum, interdum curvum. *Cortex* ſtupoſa. *Saccus* inteſtinus, ovalis, ruber, pyloro humani ventriculi ſimillimus, duobus orificiis pertuſus, quibus ſolis cohæret cortici; cætera enim ſua mole ſeparatur. Si magis compoſitum eſſet hoc animal, allegoricum fere dicerem.

Obs. Græci religioſe jejunantes & carne & piſce abſtinent. Conchylia tum gratiſſima ſunt, quæ piſcis & carnis nomina feliciter evitarunt. Phuſca cruda

R editur,

editur; transverſim ſecta & ſucco Limoniorum imbuta; cortice tamen rejecto. *Smirnæ* ſaxis adhæret, manibusque avellitur. *Conſtantinopoli* profundum occupat, unde Urinatoria arte expiſcatur.

SERTULARIA.

83. SERTULARIA OBSCURA; *rachi vireſcente; ramis alternis erectiuſculis viridibus; cellulis albidis, omnibus ſimplici ſerie poſitis ſuperne.*

An *Sert. myriophyllum Linn.?* Parva, inquinata & vetuſtate corrupta erat.

84. SERTULARIA SETACEA? ſed ramis caret: (forte junior). Filiformis, recta, ſimpliciſſima, denticulis ſecundis; calycibus ovatis, ſeſſilibus, raris. Longitudo poll. craſſities ſetæ: color viridi-flaveſcens: ovaria ſeu calyces rariſſime videbantur. Jam mortua & corrupta inventa ad ingreſſum *Archipelagi*, inter fucum acinarium.

85. SERTULARIA RIGIDA; *compreſſa, ſtriata; denticulis oppoſitis, faſtigiatis; apice floriferis; ramis ſparſis.*

DESCR. Fuſca, ſeu obſcure-brunea, rigida, recta, latitudine fili: raro poll. longa: ramis paucis, rectis, rigidis, brevibus: ſæpe nullis. *Articuli* obcordato-triangulares, compreſſi, ſupra denticulis tribus: uno pro rachi medullari, duobus pro ortu quovis corporis. In ſuperficie folii ſerpit ſarmentis filiformibus, (non articulatis, ut ſunt caules) folio adhærentibus: unde paſſim ſurgunt caules articulati iſti.

OBS. Cum *Sert. burſaria Linn.* affinitatem habet: differentiæ ſunt: a) ramis hæc noſtra paucis, ſæpe nullis gaudet. b) Non laxa & curva, ſed recta & rigida. c) Ad exitum ramorum, articuli non ſunt dimidiati, ſed integri. d) Flores articulorum ſeu polypi non exeunt juxta caulem; ſed ex apice denticulorum.

Ad fretum *Öreſund* in fuco ſerrato.

HYDRA.

86. HYDRA SCYPHIFERA; *capſula mutica, oblonga; corpuſculo tentaculis* 10.

DESCR. *Caulis* breviſſimus; craſſitie ſetæ equinæ; colore flaveſcente: rectus ſemper, ſubrigidus, transverſe ſtriatus, ſed ſubtiliter, & in ſpiras, vel oblique. *Capſula* terminalis, caule longe craſſior, ovato-oblonga, pellucida. Intus *Membrum* flavum, baſi coarctatum: apice cinctum *tentaculis* 10. vel 11. brevibus, varie mobilibus, articulatis, cæruleſcentibus,

bus, ſubulatis. *Serpit* ſarmentis ſubtilioribus, e quibus paſſim ſurgunt caules rigidi, ſcyphiferi.

In *Mari mediterr.* in fuco natante.

87. HYDRA MULTICORNIS; *nuda, clavata; tentaculis XIV. ſparſis, ſubulatis.*

DESCR. *Magnitudo* prioris. *Color* incarnato-aqueus. Verſus apicem craſſior, claviformis; *clava* ſub-acuminata: undique obſeſſa *Tentaculis* albidis, ſparſis, fere 14, ſubulatis, longitudine corporis: verum digito admoto, retractilibus adeo, ut clava breviora evadant, & ſimul craſſiora. Plures radicatæ juxta invicem in fuco; at in nulla conſpiciebantur rami laterales.

In freto *Öreſund* inter fucos ad fundum maris. Alioquin Hydræ communiter aquas dulces colunt.

IV. CORALLIA.

MARIS RUBRI.

A) MADREPORA.

1. MADREPORA SOLIDA; *ſtellis undique contiguis; marginibus coadunatis, membranaceis.*

OBS. 1. Stellæ cavæ, magnitudine ſeminis ſinapeos: margine unitæ in parietes communes; graciles chartæ inſtar, & facile fragiles. Lapidea moles major vel parva, ſtellas tenet ejusdem ſemper magnitudinis.

Variatio. a) *Stellis radiatim lamellatis.*

b) *St. margine lamellatis;* circulo centrali papillulis lapideis, erectis, unius ſeriei.

OBS. 2. Corallia his in oris obvia, ædibus ſtruendis apta ſunt pleraque; & *Djidda* urbs tota, his litophytis, ceu inhabitatum conſtat muſeum. Lapides 25. pedem cubicum æquantes, & e littore transvecti emuntur uno *Piaſtro* ſeu 40. *Parà*; monetæ Arab. Hinc *Syſtema Coralliorum* adornari poteſt perquam artificiale in a) SOLIDA; b) FRAGILIA, ſenſibus & officiis domeſticis magis acceptum, quam nomenclaturæ eruditæ. Inter Solida, hæc ſpecies prima & frequentiſſima, conſtans materia ſubtiliore & compactiore reliquis.

Obs. 3. Nunquam ſatis admiranda Coralliorum copia in Mari rubro. Montes hi Litophyti vocantur *Sjaab.* شعب Luxus & luſus Naturæ. His in locis Obſervator curioſus plura detegit paucis diebus, quam toto anno alibi. Scopuli & ſaxa littorea hic pretioſa ſunt eruditis, incommoda navigantibus; Turcis præſertim qui altum mare timent & inter Inſulas proficiſcuntur. Magna putatur ſcientia Nautæ, hæc brevia proſpicientis & evitantis. Diſcernuntur e longinquo colore ex albo-vireſcente; grato oculis otioſis ſpectaculo; oppoſito littoribus nudis, arenoſis & triſtibus. Usque ad decem Orgyas vidi hæc ſaxa ſurgentia. Dum aquis extrahuntur, ſuprema parte inveniuntur mollia, inde magis magisque cartilaginoſa; fundus eſt lapis ſolidus. *Monachi Græci* in urbe *Tôr* habitantes interdum transmittunt Corallia *Kâhiram* & *Conſtantinopolim*: ſed ab imperitis obviæ & communes leguntur ſpecies potiſſimum molliores; vix vero Corallia ſolida. Mihi obvenerunt ſpecimina, digniſſima Muſeis Europæicis; verum mora & ſumtus abvehendi poſtulatur. Nullo negotio colliguntur. Incolæ paratos lapides habent in mari, quos facilius ſecant & ædibus ſtruendis aptant, quam ſaxa Calcarea, quæ totos montes adjacentes conſtituunt. Urbes *Tôr* & *Djidda* tam magnifice ædificatæ ſunt. *Lobajæ* fundamina tantum ædium ſaxo Corallino ſternuntur. *Calx* e lapide hoc & teſtis Conchyliorum paratur alba, ſubtilis, optima. Hæc uſtulatio non in fornace peragitur; ſed rogus ligneus arboris *Sceuræ* altitudine $1\frac{1}{2}$. ulnæ, & diametr. 6. vel 8. accumulatur, cui injiciuntur Corallia & Conchylia in formam coni. Nychthemeri ſpatio peracto, exſtinguitur ignis. Calcis nomen in Yemen *Noura* نورة in Ægypto erat *Djir* جير

2. MADREPORA favus; *ſtellis margine coadunatis, rigidis.*

Obs. Lapis cavernoſus: tubis longitudinalibus, crebris tabulis interceptis. Stellæ magnitudine parvi piſi: concavæ: hexagono-orbiculatæ: parietibus craſſitie unguis: duris, compactis.

Variat. a) *Stellis diverſæ magnitudinis*: in eodem lapide quædam lente non majores; piſi mole aliæ.

b) *Interſtitia* vel parietes; aut lamellati; aut lati, nudi.

3. MADREPORA cavernosa; *ſtellarum marginibus ſeparatis, lamellis interjectis.* (*Favoſa.* Linn.)

Obs. *Magnitudo ſtellarum* non ſolum obvia oculis nota characteriſtica eſt, verum & invariata in his lapidibus; adjungenda igitur definitioni; ſi ſubveniret menſurandi modus aptior, quam ex comparatione. Hujus Speciei ſtellæ, magnitudine lupini vel fabæ: concavæ, contiguæ: ſingulæ ſuo pariete diſcretæ, qui lamellis transverſis uniuntur; quare & moles lapidis cavernoſior apparet.

4. MADREPORA labyrinthiformis; Linn. *coſtis undulato-labyrinthiformibus.*

Obs. In recenti & illæſa Madrepora, coſtæ non retuſæ; ſed ſerratæ, ob lamellas transverſas ultra parietes communes exſtantes. Lapis valde poroſus.

5\. MADREPORA ASTROITES; LINN. *ſtellis orbiculatis, marginibus ſeparatis, lamellis interjectis.*

OBS. Perſimilis ſuperiori 3: quoad figuram lamellarum & magnitudinem ſtellarum; ſola harum figura circularis & minori profunditate. Cruſta ſuper cruſtam creſcit. Semel illam reperi in montibus ad ſeptentrionalem *Djiddæ* plagam.

6\. MADREPORA MONILE; *ſtellis infundibuliformibus, diſco vacuis, lateribus & parietibus obtectis, lamellis æqualibus, radiantibus, denticulatis, in alteram ſtellam continuatis.*

DESCR. *Pori* non ſphærice cavi, ſed planati in formam coni inverſi, brevis, lati. *Stellæ* magnitudine piſi: centrum minus ſemine ſinapeos, lamellis nullis; ideoque profundius. *Lamellæ* valde propinquæ; velut moniliformes: remotius a centro, interdum ramoſæ: continuatæ ſupra ſtellarum parietes ab una ad alteram; ideoque parietes obtegentes. Unica reperta in montibus iisdem.

7\. MADREPORA DÆDALÆA; *ſtellis ſubhexagonis; parietibus unitis, reticulatis, interne & margine dentatis.*

DESCR. Animal eſt *Priapus*; viridis vel cinereus; quisque ſuam ſtellam inhabitans; illuc ſe retrahens & occultans. *Stellæ* magnitudine parvi lentis prismaticæ, eadem apertura decurrentes ad intimam baſin vel centrum lapidis; fere ut *Tubipora*. (an ejusdem generis?) Lapis admodum poroſus & fragilis. *Parietes* ſole ſiccati, demto incola, apparent nivei, pertenues; ſerie longitudinali pertuſi poris latis; retiformes: interne dentibus perpendicularibus ſubulatis, remotis; ſeriebus transverſis, ad centrum non pertingentibus. In tubis quoque non ſunt alii iſthmi præter hos dentes. Margo parietum ſuperior denticulatus.

8\. MADREPORA MONASTERIATA; *parietibus in linguas lanceolatas, ſcabras elatis inter ſtellas contiguas; ſeminis ſinapeos magnitudine.*

DESCR. *Parietes* communes: quamvis ipſæ ſtellulæ ob linguas interjectas, appareant remotæ. *Linguæ* in margine parietum erectæ, compreſſæ, longitudine dupla diametri ſtellæ, lanceolatæ, undique ſcabræ; quinque vel quatuor circa quamcunque ſtellam; communes quoque ſtellis adjacentibus. Stellæ inter linguas, teretes, radiantes lamellulis: ſiccatæ videntur pertuſæ; æque ac cætera omnia reticulata, poris pervia, & nivea ſpectantur. Lapis ſpongioſus; tenax tamen & durabilis.

9. MADREPORA CONTIGNATIO; *incruſtans*, *planiuſcula*, *orbiculata*; *ſtellis radii linearibus*, *verſus centrum ſpectantibus*: *ſtellis diſci ovatis*, *divaricatis*, *ſubcontiguis*.

DESCR. *Cruſta* cruſtam tegit lapidisque molem format: vidi cruſtam pedis diametro planam, glutine vireſcente rectam, animalibus pleno, quum aquis extrahebatur: affixam ſubtus lapidi; nec liberam, ut Madrepora fungites. *Stellæ diſci* pollicares, velut ex centro radiantes: lamellis omnibus antrorſum, ſeu ad centrum oblique verſis. Diſcus reliquus ſtellis oblongis millepediformibus, convexis, dorſatis, *lamellis* transverſis parallelis, ad utrumque apicem ſtellarum radiantibus; apicibus contiguis in interſtitiis, quæ ipſis ſtellis latiora non ſunt. Diſci ſtellæ magnitudine & facie millepedum. *Lapis* interne cavernoſus; tubis ad primam baſin recta decurrentibus inter ſingulas ſtellarum lamellas iſthmis transverſis plurimis. Fruſtulam vidi Diſci, lectam e monte littori vicino. Stellas offerebat ovales, lente minores, convexas, læves (forte detritas); lamellis tantum in interſtitiis ſtellarum circa quamque ſtellam radiantibus, unde cavitates iſtæ velut pinnatæ. Species-ne diverſa?

Hæc ſpecies videtur, ad *areolatam* LINN. accedere.

10. MADREPORA FUNGITES; *orbicularis*, *lamellis denticulatis*. Arab. *Gædáhh*. قدح

OBS. Fragilis: agariciformis, libera, frequens. *Alia*, & ſine dubio Species diverſa e montibus *Djiddæ* ſeptentrionalibus a Dn. *Niebuhr* allata; pedis longitudine, oblonga, 5. poll. lata, lamellarum dentibus latis. Minores eandem figuram & proportionem habent dentium.

11. MADREPORA ORGANUM; *lamellis transverſis combinantibus*, *rugoſis*, *undulatis*, *vix remotis*.

12. MADREPORA CORALLIUM RUBRUM.

Parvum vidi ramum corallio inſitum magno e mari advecto.

13. MADREPORA CACTUS; *ramis compreſſis divergentibus*, *intricatis*, *dichotomis*, *margine carinatis*; *lateribus contigue ſtellatis*.

DESCR. Non vidi niſi ſemifoſſilem e montibus allatam; ſed pulcherrimam. Surgit *ramis* fere erectis, compreſſis, ſubdichotomis: verſus novam dichotomiam latioribus; margine acutis, varie flexis; apice etiam carinatis, ſubtruncatis. *Stellæ* replent utraque latera ramorum, ſeriebus ſæpe transverſis, contiguis. *Lamellæ* e centro humiliore radiantes unitæ cum

cum lamellis vicinarum ſtellarum: propinquæ, humiles, filiformes, occupantes totam ſuperficiem.

Fruticem vidi pedem altum: ab uno centro ad alterum ſtellarum, diſtantia non majore diametro parvi lentis: rami ſupremi unguem lati.

14. MADREPORA RUS; *ſuperficie inæquali, ſpongioſo-papilloſa, ſtellis ſuperficialibus, planiuſculis, diſtantibus.*

DESCR. Rarior: Lapis compactus. Superficies velut ſalebroſa & monticuloſa carinis elatis, varie undulatis, dentatis. Loca vero tam altiora, quam depreſſa papilloſo-ſpongioſa, ſed ſubtiliter & oculo remotiori velut aranearum telis obducta apparent. In his papillis videntur ſtellulæ lamellis radiatæ, obſcuræ, orbiculatæ, locis inferioribus inter carinas ſitæ, remotæ, magnitudine ſeminis ſinapeos: nec convexæ, nec concavæ, ſed in ipſa ſuperficie hærentes. Ubi carinæ profundius jacent, ibi ſtellulæ manifeſtiores. Inter altiores, omnia videntur papillis plena. Cavitates foraminulis ſparſis, fili craſſitie.

An *Madr. punctata Linn.*?

15. MADREPORA SERAILIA; *ſuperficie ſubæquali, ſtellis diſtantibus, cavis, margine prominentibus, rotundis.*

DESCR. Lapis ſatis compactus. *Interſtitia* ſtellarum elatis punctis oppleta. & prorſus ſolida. A ſingula ſtella deſcendit *Canalis*, in multos minores diviſus & innumeris iſthmis interceptus. *Stellæ* ſinapeos ſemine majores, margine parum eminent ultra ſuperficiem: Cavitatis autem ſuperficie inferiores; orbiculatæ lamellis e centro radiantibus. Impari ſpatio diſtant a ſe invicem: modo uno, modo bino diametro ſuo; ſparſæ ſine ordine.

16. MADREPORA INCRUSTANS; *ſuperficie inæquali, ortam ſtellis prominentibus, conico-truncatis, diſtantibus apice, cavis, intus lamellatis.*

DESCR. Lapis adeo compactus. Tota ſuperficies & tubuli ſtellarum externi, ſubtiliter ſpongioſo-papilloſi. *Stellæ* inordinatæ, remotæ, prominentes, conico-truncatæ; baſi piſi diametro, apice lentis. Cavitas margine lamellata, diſco prorſus vacuo, deſcendente usque ad ſuperficiei libellam. Interdum quidam *tubuli* ſtellares connati eriguntur in dorſum altius: unde iterum novi tubuli laterales velut rami exeunt: ſed ad regularem ſtructuram pertinere, non crediderim.

OBS.

Obs. Incertum, faciat-ne Madr. hæc ſolidos lapides ipſa; an ſtratis ſolum ſe ſternat ſuper alios lapides. Unica enim illa quam vidi, me dubitatione non exemit. Alias deinde obſervavi lapidem ſolidum effingere, ſed per ſtratorum inductionem, cruſta inferiore manente, aucta ſemper nova & habitata animalibus.

17. MADREPORA chalcidicum; *ſtellarum tubis prominentibus, remotis cylindricis, interne & externe lamellatis: lentis magnitudine.*

Descr. Superficies tota ſtellis aſpera. Lapis cavernoſus, durus: tubuli intercepti iſthmis numeroſis. Interſtitia ſtellarum punctis elatis, parvis, plurimis. *Stellæ* lentis diametro: & parum a ſe invicem remotæ & elevatæ. *Lamellæ* perpendiculares: externæ & internæ fere æquales; hæ tamen majores, ſupra marginem parietis unitæ. *Parietes* adeo tenues, ſuperne lamellis dentati. *Tubi* interne, medio cavi, non repleti lamellis.

18. MADREPORA concamerata; *plana, ſtellis margine prominulis, remotis, interſtitiis lamellatis.*

Descr. Semifoſſilem tantum vidi. Stellarum *margo* craſſiuſculus, elatus, lamellis dentatus. *Lamellæ* internæ minores (forte detritæ); adeo ut ſtella fere tota vacua: *externæ* internis continuatæ, iis majores, interſtitia occupantes, eaque velut pinnata reddentes. *Lapis* poroſus, durus: cruſtæ obeſæ formam ferens.

19. MADREPORA divergens; *ſubgloboſa, organifera, tubis divergentibus, ut ex centro ſphæræ, duplo diametro ultra ſuperficiem exſtantibus.*

Descr. Unicam vidi; e monte ſupra dicto depromtam; forte eandem cum Madr. organo. Hæc ſine dubio formam abortivam ſphæri obtinuit ex ſitu loci natalis; quum tubi ſoleant in aliis paralleli eſſe. *Tubuli* ultra ſuperficiem prominentes cylindrici; extus elate longitudinaliter ſtriati: intus lamellis usque ad centrum radiantibus oppleti: apice truncati: diametro toto a ſe invicem diſtant ſupra *ſuperficiem;* quæ rugoſa, vel tuberculoſa. *Interne* tubi, ut in Madr. organo lamellis crebris, transverſis ligantur & concentricis; quum in cæteris ſint parallelæ. Lapis fragilis.

20. MA-

20. MADREPORA corymboſa; *corymbi ramis apice craſſioribus, ſtriato-aculeatis; ſtellis terminalibus ſolitariis, repando lobatis.*

Descr. *Rami* digito craſſiores, in corymbi formam poſiti; verſus ſtellam terminalem latiores. Extus ſtriis longitudinalibus, ſurſum aculeatis. *Stellæ* terminales, ſolitariæ, magnæ, cavæ, poll. latæ; margine in lobos ſinusque varie flexo. *Lamellæ* tot internæ, quot ſunt ſtriæ extus, pertingentes usque ad centrum. Margine denticulatæ? Fruticem vidi altitudine pedis.

B) MILLEPORA.

21. MILLEPORA damicornis? *ramoſa, diffuſa; poris undique ſparſis, ſtellaribus, immerſis, ramorum apicibus conicis.* Arab. *Schæab.* شعب

Descr. *Pori* ſtelliformes; (quid ergo obſtat, quo minus ad Madreporæ genus referatur eodem jure, ac Corallium rubrum?) ſemine Sinapeos duplo minores; margine ſuperiore prominulo; ſparſi, diſtantes. *Interſtitia* minutiſſime papilloſo-punctata. *Rami* ſubteretes; vix pennæ anſerinæ craſſitie, ſine ordine diviſi; apicibus conico-ſubulatis. *Color* vireſcens & rufeſcens in recenti: ſiccata albeſcit.

22. MILLEPORA alcicornis; *ramoſa, diffuſa, poris undique ſparſis, ſtellantibus, immerſis; ramorum apicibus obtuſiſſimis, compreſſiuſculis.*

Obs. Pori ut in priori. *Rami* penna anſerina craſſiores; apicibus obtuſiſſimis: interdum emarginatis, dilatatis. *Color* vireſcens; ſæpe violaceo-ruber: ſicca albeſcit.

23. MILLEPORA lineata; *ſubdichotoma, ramis diffuſis, patentiſſimis, ſubquadrangulis; apicibus ſubulatis, poris angularibus.*

Descr. *Caulis* penna columbina craſſior. *Pori* per angulos in quatuor ſeries longitudinales digeſti, ſtellares: ſem. Sinap. duplo minores, diſtantes, margine ſuperiore prominuli, immerſi. *Rami* ſæpe dichotomi, patentiſſimi: ubi alios ramos attingunt, concreſcunt. *Ramuli* terminales, ſubulati, fere pollicares. *Color* recentis cinereo-vireſcens.

Obs. Profundiora maris loca inhabitat. Cum *Lineata* Linn. convenit deſcriptio; niſi quod in noſtra rami non concatenati; nec caulis filiformis; ſed multo craſſior filo.

24. MILLEPORA muricata: Linn. Arab. *Náchl el báhr.* نخل البحر id eſt: *Palma marina.*

a) *Flaveſcens*, in fruticem orbiculatum, ſubfaſtigiatum, ſæpe ultra pedis diametrum diffuſum.

b) *Rufeſcens*, digito craſſior; poris lateralibus, hinc inde in cylindros pollicares productis: rarior e profundo expiſcatur.

S Et

Eſt hæc ſpecies, ob poros ſtellares Madreporis adnumeranda, æque ac Corall. rubrum; vel hoc Milleporis adjiciendum. A priore hæc differt ſpecies: apicibus ſtellarum tubulatis, cylindricis, externe lævibus, ſtriatis: illius autem rami digitiformes, obtuſi, apice & externe punctato-poroſi.

25. MILLEPORA EXÆSA; *ramis conglomeratis, obtuſiſſimis, faſtigiatis, compreſſiuſculis, nitentibus, vireſcentibus.* Arab. *M'gawiſch.*

OBS. Vidi tres pollices altam; ſæpe pedem latam: facies & color ſcorii ferri. *Rami* compreſſi; in multos manipulos connati: apice faſtigiati, obtuſiſſimi. *Superficies* poroſa, nitens, olivaceo-vireſcens; apicibus magis flavicantibus. Inter rariores.

26. MILLEPORA DICHOTOMA; *retiformis, læviuſcula, ramis teretibus, ſubcompreſſis, apice obtuſiſſimis, poris minutis.*

DESCR. Tabulæ varie connaſcuntur. Rami craſſitie pennæ anſerinæ: vix ſcabri; connati in rete craſſum; foraminibus ſæpe ramis anguſtioribus. *Apices* ramorum dichotomi, cum rete compreſſi, ſed tenuiores, obtuſiſſimi, ſæpe emarginati. *Color* flavicans. Profundum inhabitat: fragilis.

27. MILLEPORA LICHENOIDES; *expanſa, ramis teretibus alternis, ramoſis, ciliato-dentatis.*

DESCR. *Stirps* alba, ramoſiſſima, non glomerata, ſed in unum planum expanſa: quamvis apices ſæpe flexi. *Rami* teretes, compreſſi externe, i. e. ſecundum planum totius plantæ; ad exortum parum curvati, & quaſi undulati: ſubtus glabri: punctis ſtriatis ad utrumque latus obſoletis, & dentibus acutis, brevibus ſuboppoſitis; ſupra punctis elatis, ſparſis. Rami omnes tam arcte, tantoque ordine diſpoſiti, ut Millepora tota e longinquo referat reticulum.

28. MILLEPORA CELLULATA; *conglomerata, ramis compreſſis; laciniis linearibus, obtuſis.*

DESCR. *Color* albidus, rufeſcens. *Rami* ſcabri punctis elatis & ſetis; ſæpe connati: punctis impreſſis, in lineis oblique decuſſantibus poſitis. Rami plerumque in globum glomerati: fracti, duplicem intus monſtrant ordinem cellularum: latitudine ſexties ſuperant craſſitiem.

Varietas: glabra; punctis impreſſis; tuberculis nullis elevatis: ſed forte aquarum alluvie detritis.

An *Mill. Alcicornis*, LINN.? Hæc poris nec ſparſis, nec obſoletis.

29. MILLEPORA RETICULATA; *expanſo-ſinuoſa, reticulata, ramis interne compreſſis, poroſiſſimis.*

DESCR.

Descr. *Color* albido-flaveſcens. *Pori* ſubtus aperti, conferti, faſtigiati; non in verrucis prominentibus ſiti; an ergo diverſa a *Reticulata*, Linn. vel diverſæ maturitatis? Ramus fractus, poris intus plenus, ut Arundo: craſſitie pennam columbinam vix æquat.

30. MILLEPORA conglomerata? *ramis compreſſis; verrucis quincuncialibus, apice apertis. Mill. compreſſa.* Linn.?

Descr. Integram non vidi; ergo ignoro utrum plana ſit, vel conglomerata. *Rami* compreſſi, ita ut duplo latiores quam craſſiores ſint. *Verruculæ* elatæ in utroque latere; margo uterque lævis. *Color* flavicans; interdum vireſcens. Fractus ramus duplicem ordinem cellularum monſtrat; ut in *Mill. Alcicorni*; cui valde affinis.

Hæ quatuor ſpecies 27-30. *Maſſiliæ* inventæ.

c) LITOPHYTA.

31. LITOPHYTON pulmonare; *carnoſum.* Arab. *Láhm el báhr.* لحم البحر

Descr. Flavo-vireſcens; lamellis craſſiuſculis, labyrinthiformibus, plicato-undatis, ſubtus ſtriatis, nudis; ſupra punctatis, papilloſis. Caro flava, ſpongioſa, duriuſcula. Stirps craſſus; pedalis altitudinis; ſeſquiped. latit. Ajunt nunquam lapideſcere.

32. LITOPHYTON arboreum; flavo-vireſcens, ramis teretibus, ſulcatis, ramoſiſſimis, ramulis oblongis, papilloſis. Seſquipedale ſæpe: ſtirpem valde diffundens; in aquis erectum. Rami alterni. *Ramuli* papilloſi, laterales, terminales, unguem longi, flavidi, racemiformes.

33. LITOPHYTON fulvum; *cruſtaceum*, carneum, fulvum, punctatum; poris majoribus elatis.

V. TESTACEA FOSSILIA.

MELITENSIA.

In lapide calcareo, ex quo tota conſtat Inſula.

34. Cardium *ſolidum.*

35. VENUS *dione.*

36. Arca a) *noæ.*

37. —— b) *ſenilis.*

38. —— c) *glycymeris.*

39. Mytilus a) *modiolus.*

40. ——— b) *lithophagus.*

41. Anomia *terebratula.*

42. Ostrea a) *edulis.*

43. —— b) *pecten.*

44. —— c) *obſcura?* auribus æqualibus; valvula utraque convexa; radiis rotundatis, longitudinaliter ſtriatis. Ab *Oſtrea maxima* diverſa, cui valvulæ planæ.

45. Echinus a) *lacunoſus.*

46. —— b) *roſaceus.*

47. —— c) *pentagonus; oblongo-pentagonus; ambulacris quinis, bipartitis, ſuperficie ocellata.*

Descr. Longitudo ſpith. *Subtus* planus; umbilico profundo, lato, pentagono. E ſingulo angulo ſulcus exit ad ſingulum angulum marginis. *Superne* prismatico-pentagonus, margine dilatato, oblongo, angulis rotundatis. *Ambulacra* 10, depreſſa, lineis oblique transverſis notata; ad utrumque latus ambulacri terminatis puncto cavo; verſus apicem latiora, apice rotundata; circa ſingulum pulvillum bina curve conniventia; nec tamen coeuntia. *Pulvilli* elati, oblongi, convexi. *Vertex* depreſſus. *Color* ſæpe teſtaceus. Superficies ſupra & ſubtus ocellata, circellis impreſſis, punctatis, diſco elato.

KAHIRENSIA.

48. Nautilus? a) *Gizenſis.* Ad Pyramides vulgaris, & in monte Calcareo ad Arcem Káhirinam. Jam a *Strabone* memoratus. Ubique hæret in ſaxo Calcareo hic vulgari, & per deſerta ſparſus, lapide matrice vitrificato & ſoluto. Adeo parvus. In fundo Maris rubri ad Sués ſimiles vidi Nautilos; non convexos, ſed depreſſos. Alii erant mixti cum arena albeſcente, ſed tam parvi, ut vix nudo oculo diſcernendi fuerint.

49. —— —— b) *major;* pollicis diametro; ſimillimus priori; concamerationibus diſtinctis; depreſſus, placentæ forma.

50. Echinus a) *roſaceus.* Arab. *Surret el belad.* صرة البلاد

51. —— b) *lacunoſus.*

MATERIA MEDICA

EX

OFFICINA

PHARMACEUTICA

KAHIRÆ

DESCRIPTA.

MATERIA MEDICA

KAHIRINA.

I. ANIMALIA.

Rotl. Parà.

1. Mumia humana. (Cerebrum magis in uſu.) مومية E Saccara. 8.

2. *Cornu Cervi.* قرن الايل Dicitur differre a *Havn arajal*, C. Cv. ex Europa allatum. - - - - Ok 30.

3. *Os Sepiæ.* *Zibb el bàhr.* زب البحر E Græcia & Alexandria. - 6. Rarum: Aphrodiſiac. putatur.

4. *Ebur.* سن فيل E *Sudan.* (Æthiop.) - - - 8.

5. *Stercus Veſpertilionum.* *Adſiæ.* عد سيه Arabes e deſerto adferunt. 5. Uſurpatur interne & externe. Frequens. Ad tumores miſcetur aceto.

6. *Cortex ovi Caſuarii* vel *Struthionis.* قشر بيض النعام

7. *Ova Teſtudinis* ſicca. *Beid el qolqom.* بيض القلقم E regione Bahæiri, Arabes afferunt. - - - - 1. Ovum. 10.

8. *Vipera.* افاعي viva ſingula 1. parà. Caro ſicca, unius - 4.

9. *Millepedes.* *Umm ali.* ام علي Káhiræ. Corbis menſurâ - 4.

10. *Cantharides, virides.* *Dybbân hendi.* دبان هندي Ex India. Rotl ſæpe 5 Patak: & ſæpe ʒj - - - 30.

In Stranguria. Rec. Canthar. ʒj.
Sacchari ʒji.

M. Divide in 4 partes æquales. Mane una pars recipitur; expellit ſerum & parum ſanguinis, ſed ſine noxa. Altera die ſecunda portio, & ſic contin.

11. *Oculi Cancrorum* præp. *Æjn eſſaratân.* عين السرطان Ex Europa & Archipel. Ok 4. patak. - - Rotl - 80.

12. *Meloe faſciata.* ذراريح E Syria. - - - 50.

13. *Coccionella.* دود Ex Europa. Ad Confect. *Al kerm.* قرمز ʒj. 2½.

14. *Coccus*

Rotl, Parà.

14. *Coccus baphica.* حب قرمز E Græcia. Tinctor. & medicum. ʒj. 1½.

15. *Cera Alba.* شمع ابيض Æſtate affertur. - - Rotl 24.
citrina. hieme affertur. - - - - 24.

16. *Gallæ quercinæ.* E Syria & Græcia; illæ meliores. - - 14.
Afs. عفس Tinctoriæ.

17. *Gallæ Tamar. Atl. Budjm.* بجم Káhiræ. - - - 4.
Tinctoriæ, loco Gall. querc.

18. *Nidus Inſecti? Tæjhán.* تيهان Ex Archipel. Decoct. cum ſaccharo contra tuſſim. 15.

19. *Mater perlarum. Arq lulia.* عرق اللولي Ex India. 100 pro 400 p. exportatur hinc Conſtantinop.

20. *Sædof.* صدف Ex India per Suès: forma pulv. - - 8.

21. *Unguis odoratus.* (opercula Cochl.) *Dofr el afrît,* ضفر العفريت i. e. *unguis dæmonis.* E Mochha per Suès. Arabes etiam afferunt. Nigritis fumigatorium eſt. 20.

22. *Caſtoreum. Djild Menaſter.* جلد منستر - - ʒj. 30.

II. MINERALIA.

1. *Bolus armeniac.* طين ارمني

2. *Marga?* rubra. *Tîn machtûm àhmar.* طين مختوم احمر Ex deſertis Káhirinis. Cum AqF. leviter efferveſcit. Uſus interne & externe in hæmorrhagiis: &c. - - - - - 4.

3. *Terra Cretacea. Tabaſchir hendi.* طباشير هندي Ex India. Ok. 400. ʒß. Cum aqua contra Sitim febrilem infantum.

4. *Cretacea. Tîn machtûm abead.* طين مختوم ابيض Ex Archipel. vilior. - - - - Rotl 15.

5. *Argilla alba. Læben adra.* لبن عدري vel *Læben marjam* لبن مريم Ex Græcia & Palæſtina. Pro augendo lacte: ʒß. interne.

6. *Mica.*

Rotl. Pară.

6. *Mica.* *Talq abjad.* طلق ابيض Ex Ægypto ſuperiore. - - 6.
Uſus parcior; in ſuffimentis & Alchemicis.

7. *Terra.* *Tîn machtûm rumi.* طين مختوم رومي vel *Abjad.* ابيض
Ex Archipel. Uſus frequentior quam Terræ ſig. rubræ. - 12.

8. *Talcum.* *Selenites.* *Chryſtallus mont.* &c.

9. *Corallia præpar.* *Murdján medábar.* مرجان Ex India & Venetia. 15.

10. *Millepora?* *Ghâb el bàhr.* غاب البحر Ex India. Rarior uſus.

11. *Tubipora muſica.* *Damm achavæjn.* دم اخوين Ex Archipel. &
Mari Rubro. Uſus rarior. - - - 5.

12. *Lapis Judaicus.* *Zæjtún benni Iſrail.* زيتون بني اسرايل (i. e.
Olivæ Iſraelitar.) E Syria & Palæſtin. Diureticum. - 12.
Pulvis raſus interne contra ſtranguriam.

13. *Aculei echini?* *Dûd ajûb.* دود ايوب (i. e. *Vermes Jobi.*) vel
Schijafe hadjazi. شيافة حجازي E Syria & Hedjâs.
Uſus frequens. Pulvis cum aqua illinitur oculis inflammatis.

14. *Lapis Lazuli.* حجر لزورد E Græcia. - - 10.

15. *Bitumen aſphaltum.* *Qafr el jahúd* قفر اليهود E Syria. - 10.
Uſus rarior. Theriacam ingreditur.

16. *Minera Ferri rubra.* *Sandal hadídi* صندل حديدي

17. *Lapis hæmatites.* 18. *Crocus antimonii.*

19. *Minera Antimonii.* *Antimunia.* انتيمونيا Ex Europa. Uſus frequens. 18.

20. *Viride æris.* *Djinzár.* جنزار Ex Europa. Uſus pictorius. 50.

21 *Mercurius ſublim. corroſ.* *Soleimâni.*

22. *Cinnab. nativ.* *Durûr àhmar.* ضرور احمر Ex Græcia. - 40.

23 *Flores Sulphuris.* *Zahr Kibrit.*

24. *Succinum præpar.* *Kehrebâ mdába.*

25. *Mercur. dulcis.* *Merkúria halu.*

26. *Crocus martis.* Aperitiv. *Zafran el hadíd mufetta.*

27. *adſtringens.* *Zafran el hadîd moqbed.*

28. *Ceruſſa.* *Aſidádj.* اسبيداج

29. *Las*

29. *Lac ſulphuris.* *Kibrît n'bagad.*
30. *Tutia præpar.* *Tutie mdabar.*
31. *Vitriolum album?* *Tutie biſraui.* توتيه بصروي Básræ. - 100.
Uſus ophtalm. frequens. - - - ʒj. 5.
32. *Borax.* *Bouraq.* بورق Arabes ex deſerto afferunt. - 6.
33. *Natrun djellebe*: & *Schæbb djellabe.*
34. *Sal ſabinæ.*
35. *cochleariæ.*
36. *centaureæ.*
37. *cedoariæ.*
38. *angelicæ.*
39. *chalybeatorum.*
40. *abſinthii.* *Melh aſſantín.*
41. *polychreſt.*
42. *Salprunellæ.* *Tældj elhokáma.* تاج الحكما
43. *ſaturni.* *Melh roſás.*
44. *viperæ.* *Melh hajæ.*
45. *Tartar. vitriol.*
46. *Cremor tart.* كرمور طرطير *Melh tartír.*
47. *Tart. ſolubil.*
48. *Tart. emetic.* طرطير مطرش
49. *Arcanum duplic.*
50. *Nitrum depurat.* *Melh barûd abjad.* ملح برود ابيض - 12.
Uſus frequens. *Barûd châm.*
51. *Sal gemmæ.* *Melh machtûm.* ملح مختوم Fruſtula parva. - 1.
Dicunt illud uno & exiguo loco in Ægypto ſuperiore generari, ea nocte qua *ros* Ægyptiis *Noqta* dicta, decidit.
52. *Zahr el medábegh.* زهر الميدابغ E Cupro & aceto paratur. - 12.
Contra ſcabiem &c.
53. *Lapis medicamentoſ. Crollii.* 54. *Mamirán.* (lap. obſcur. gener.)

III. HERBÆ.

1. *Roſmarinus.* *Haſalbân achdar.* حصالبان اخضر Káhiræ. - 4.
2. *Salvia.* *Marjamie.* مريمية E Syria & Suès. - - 8.
Infuſum pectorale.
3. *Euphraſia.* *Faraſiûn.* فراسيون E Græcia. - - 15.

Rotl. Parà.

4. *Anethum* شبث
5. *Hyſſopus.* زوفا E Palæſtina. - - - 18.
6. *Borago.* *Liſſân ettôr.* لسان الثور 7. *Hedera terreſtr.*
8. *Epithymum.* *Aſtimûn.* افتيمون E Syria. - - 12.
frequens decoct. in hypochondr.
9. *Lavandula ſtœchad?* *Eſtachudes.* استاخودس E Syria & Barbaria. 8.
conſerv. ophtalm.
10. *Betonica.* بيتونيكا Ex Europa. - - - 50.
11. *Chamædrys.* كمادريوس
12. *Dictamn. cret.* مشكترمشيع 13. *Mentha* نعناع
14. *Orobanche crenata.* *Halûk.* هالوك Káhiræ. frequens in compoſitis. 5.
15. *Centaurium minus.* *Qantariûn.* قنطريون Káhiræ. frequ. decoctum
contra Colicam.
16. *Achillæa agerat.* *Schiah.* شيح vel *Bæjtran* بعيثران Arabibus
Kæjſûn. قيسون frequentiſſ. Decoctum pro puerperis & hypochond.
17. *Chamæpythis.* كمافيطوس 18. *Melilothus.* اكليل الملك
19. *Abſinthium.* شيبة 20. *Malva.* خبيزة
21. *Artemiſia.* (eſt *Ambroſ. ſerot.*) *Demſîſe.* دمسيسة ſpont. Káhir.
freq. purgans. ℥iij. vel decoctum ex ½ Ok.
22. *Parietaria.* حشيشة الريح 23. *Alcea ficifol.* (*Althea*) خطمية
24. *Senna Meccenſ.* سنا مكي - - - - 14.
25. *Alexandrina.* سنا صعيدي - - - - 4.
26. *Ariſtolochia* radix. زراوند 27. *Viſcum quercin.*
28. *Tuſſilago.* طوسيلاجيدة 29. *Scordium.* اسكرديون
30. *Pimpinella.* بيمبينلا 31. *Majorana.* مردقوس
32. *Marrubium.* فراسيون 33. *Ruta.* سذب
34. *Pulegium.* فوتنج Ex Græcia. - - - 25.
35. *Scolopendrium.* (*Lingua cervina*).
36. *Anaſtatica hierich.* *Kaf marjam.* كف مريم Ex deſerto. ſingula ½ parà.
Uſus ſuperſtit. fœminis parturientibus.

37. *Ghâfel.*

Rotl.
Parà.

37. *Ghâſel.* غافل Ex Archipel. frequens - - - 17.

38. *Meſchaktar m'ſchia.* مشكتر امشيع Ex Græcia. Exoleta herba. 24.

39. *Zuſa Kudſi.* زوفا قدسي E Palæſtina & India, frequ. pectoralis. 10.

40. *Uſnea.* اوشنة

41. *Lichen. Schadjaret ennedde.* شجرة الندة Ex deſerto - 4.
Vulneri ex uſtione aſperguntur cineres.

42. *Agaricus.* اغاريقون Ex Græcia. *An Boletus arboreus?* - 20.

43. *Capill. Veneris.* كزبرة البير 44. *Ceterach.* an *Adianthum?*

45. *Corallina.* Conferva.

46. *Spongia. Höſn juſeph.* حسن يوسف E littore Alexandr. - 8.
Cum ſucco Citri & aqua mixta, frequens Coſmeticum.

47. *Fucus. Haſchiſchet ettööbân.* حشيشة الثعبان Alexandriæ. - 15.
Cum ſemine Indigoferæ: Kabſün: & ſem. ſancto, compoſitum anthelmint. Frequens in uſu.

IV. FOLIA ET FLORES.

1. *Jaſminus officin. fl.* زهر يسمين Káhiræ. - corbis menſ. 15.
2. *Lavandula ſpica. fl. Chozame.* خزامة E Venetia. - - 5.
3. *Borago. fl.* E Syria. - - - - - 20.
4. *Papaver. fl. Rhocad.* النعمان aliis شقايق E Syria. - 15.
5. *Roſa rubra.* ورد احمر
6. *Carthamus tinctor. Öſſor* عصفر Káhiræ. Uſus tinctorius. - 14.
7. *Nymphæa.* lotus *Zahr ennoufar.* زهر النوفر E Syria. - 18.
Pulvis ictericis frequens in uſu.
8. *Thea.* fol. *Schâi.* شاي Ex Europa. Scatula 70-100 parà.
Frequens. Pectorale creditum.
9. *Hypericum* هيوفاريقون
10. *Alcea ficifol.* (*Althea*) Káhiræ. Corb. 4 p. E Natolia melior.
Ok. 30 p.

11. *Chamæmel.*

Rotl. Pará.

11. *Chamæmel.* fl. بابونج قدسي E Syria. - - 30.

12. *Aurant.* fl. نارنج 13. *Viola odorata.* Káhiræ vulgar.

14. *Caſſia fiſtula.* خيار شنبر

15. *Myrtus.* مرسين Káhiræ. E Syria melior. - - 4.

16. *Laurus.* ورق غار E Græcia.

17. *Origanum Saatar hendi.* سعتر Ex deſert. Káhir. Freq. culinaris & medic. - - - - 4.

18. *Lawſonia inerm.* *Henne.* حنه fol. Káhiræ. - - 26.

19. *Nenufár.* نوفر vel نيلوفر aliis شنين 18.

20. *Stoechad.*

21. *Balauſtia.* جنار vel جلنار floribus puniceis. Corb. 15. p.

22. *Malabatrum.* fol. *Sadedj hendi.* سادج هندي Ex India. - 50.

23. *Uaraq el ghafil.* ورق الغافل E Græcia. - - 30.
Fol. freq. in medic. & a Judæis uſurpat.

24. *Kabſún.* كابسون Ex India. - ʒj. 1. p.
Contra Vermes certiori uſu quam Senna.

25. *Ghalfil.* غلفل E Græcia. Judæis in uſu. - - 30.

V. LIGNA.

1. *Aloe.* *Oud kakaji.* عود قاقاي 2. *Guajacum.* خشب الانبيا

3. *Ebenus.* *Abnus.* ابنوس E Nigritia cum Carvanis; & ex India per Suès. Solis fabris in uſu.

4. *Saſafra.* *Saſafrás.* ساسافراس Ex Archipel. Frequ. in Venereis. 20.

5. *Lignum ſanct.* *Chaſchab elenbija* خشب الانبيا vel *Chaſchab el qaddiſín.* خشب القدسين 6-12.
Ex Europa. Nautæ trochleas vendunt hoc ligno factas.
Freq in malo Vener.

6. *Santal rubr.* *Sandal ahmar.* صندل احمر Ex India & Hedjâs. - 24.

7. *Album.* *Sandal abjad.* صندل ابيض Ex India & Hedjâs. 24.
Ex hoc parantur monilia oratorio - numeraria; *Pater-noſter* dicta.

8. *Viſcum*

Roti. Parà.

8. *Viſcum quercin.*

9. *Sarſaparilla.* *Sabarina.* سبارينا vel *Öſchbe.* عشبة Ex Europa; melior ex Barbaria. Frequens in Vener. - - 50.

10. *Amyris.* *Qafal.* قفل Ex Arabia felici. - - 4.
Uſus ad vaſa fictilia infumanda. (Cent. Pl. III. 50.)

11. *Slicha.* سليخة (lignum flavum.) Ex Arabia & Syria. Ophtalmic. frequ. - - - - - 12.

12. *Bechór marjam* بخورمريم E Syria & Palæſtina. - 20.
Rarius. Fragrans. Tineis pellendis veſtibus interjicitur in ciſtula repoſitis.

13. *Qalámbak.* قلنبك Ex India. Fabris utile. - - 25.

14. *Chaſchab abuſidán.* حشب ابوزيدان E Perſia una cum Rhabarb. Unc. 8 p. Frequens conſerva; aphrodiſ. putatur.

15. *Ghataturſchi.* غطاطرشي Ex Candia. - - 5.
Frequ. Pulvis ad ſanguinem ſiſtendum; hinc uſus in Circumciſione infantum utriusque ſexus.

16. *Turbud* تربد vel *Turbul* تربل Ex India & Hedjâs. - 55.
Pulvis ℥j cum ſaccharo, purgans.

17. *Oud qaqullæ.* عود قاقولة Ex India. - ℥j. 2 parà. - 290-300.
Frequens refrigerans. Miſcetur tabaco fumatorio, ob gratiorem odorem.

18. *Chinchina.* Cortex. *Kenekîne.* كيناكينا Ex Europa. ℥j. 3. p.

19. *Caſſia lignea.* سليخة Cortex. E. Syria. - - 60.

20. *Cinnamomum.* قرفه سيلانية Ex India.

VI. FRUCTUS.

1. *Calamus aromat.* قصب الذريرة
2. *Macis.* بسباسة
3. *Cubeba.* كبابة صيني
4. *Cardamom.* حب هال
5. *Cardamom. majus.* قاقلي حبشي
6. *Nux Myriſt.* جوزطيب

Rotl. Parà.

7. *Piper longum.* دار فلفل 8. *Piper album.* فلفل ابيض
9. *Cornus.* قرلجق حب الشوم Ex Græcia. - - 4.
10. *Rhus.* سماق Ex Syria. - - - - 8.
11. *Sabina.* سانينا
12. *Laurus.* bacca. Ex Græcia. *Habb elghár.* حب الغار - 18.
Ingreditur Theriac.
13. *Sebeſtena. Cordia.* Drupa. *Sebeſtan* vel *Nabq mochajit.* نبق مخيط
Káhiræ. Decoctum contra tuſſim. - - - 7.
14. *Tamarindus.* تمرهندي Ex *Sudán.* (Æthiop.) - - 24.
15. *Quercus.* glandes. *Baloth.* بلوط Ex Græcia. - - 8.
16. *Uva corinthiaca.* قشلميش Ex Græcia. culinaris. - - 4.
17. *Cupreſſus.* *Djauz eſſaru.* جوز السرو Káhiræ. vulgaris.
Pulvis odontalgicus, denti applicatus; vel gargariſma decocti.
18. *Berberis.* بربريس bacca. Ex Græcia. Ok 20. p. frequ. - 10-15.
Obſtipans. Decoctum.
19. *Juniperus* bacca *Arar* عرعر 20. *Myrtus.* مرسين bacca.
21. *Alkekengi.* حب كاكنج bacca.
22. *Caryophyll. arom.* *Qurumfil abjad.* قرنفل ابيض Γαρoφάλα vel
Μοσκόκαρ. Ex india. Parcius: confortans. 1 Rotl, 130 parà dum Carvani adveniunt; poſtea rarius & pretioſius.
23. *Colocynth.* pulpa.
24. *Colocynth. Schaham handal.* شحم حنضل Ex Arabia. Ok 110. p.
parce. Effertur Cſtpl.
25. *Fufal.* فوفل *Arica* & *Betel*; maſticatorium.
26. *Momord. elater.* *Katte el homar.* قثا الحمار E Syria & Sinai. 100 pro 20.
27. *Lawſonia inerm.* *Habb tamra hénne.* حب تمرحني Káhiræ. - 3.
Parce. Decoctum pro infantum ſiti febrili.
28. *Meſembryanth. nodifl.* *Azrar el ghaſúl.* ازرار الغاسول
E Deſert. Káhir. Decoctum antidot. creditum. - - 5.

29. *Piſta-*

Rotl.
Parâ.

29\. *Piſtacia lentiſc.* *Föſtukſcherqi* فستق شرقي vel *Habbqhûl.* حب غول 7.
Aleppo. Parce medic. Plus menſæ ſecundæ.

30\. *Myrobalan. emblic.* *Heliledj amledj.* هليلج املج -
31\. - - - *emblic?* *Heliledj beliledj.* هليلج بليلج -
Frequ. in uſu omnes ſpecies.
32\. - - - *citrinus.* *Hel. asfar.* هليلج اصفر
Perhibent arborem anno 4ter fructum ferre. } Ex India. 14.
33\. - - - *chebul.* كابلي - - -
34\. - - - *Belleric.* - - -
35\. - - - *Indic.* *Hel. hendi ſcheiri.* هليلج هندي شعيري

36\. *Bel hendi.* بيل هندي Ex India. Parce: obſtipans. - - 24.
37\. *Kydjie* كعجلة vel *Chobz el ghorab* خبز الغراب vel *Æjſch elghorab.*
38\. *Rite.* ريتة Drupa. Ex India. Frequ. Ad loturas veſtium. 12.
39\. *Habb belader,* حب بلادر vel *behâder,* vel *benâder.* Ex Græcia.
Ad Unguenta: Interne venenata? Fructus.
40\. *Oud eſſalîb* عود الصليب vel *Aſat ed djin.* عصاة الجن E Syria legumen. - - - - - 30.
Contra Colicam, pulvis cum ſaccharo.
41\. *Habb hal habbeſchi.* حب حال حبشي fruct. Ex Abyſſinia, Nigrit. & Hedjâs. Frequ. in re culinaria & medica, loco piperis. 80.
42\. *Fara uſarfara.* فاره وفرفاره fruct. Kâhiræ hort. Arbor ſimilis Mimoſæ Nilot. ego non vidi. Frequ. ægrotis fumigator. - 4.

VII. RADICES.

1\. *Cyperus eſculent?* *Sööd.* سعد Ex Said. Colitur & Kâhiræ; ego non vidi. Contra Colicam & hypochondr. - 10.
2\. *Nardus Ind. ſpica.* سنبل هندي Ex India. - - 60.
3\. *Valeriana.* والريانا 4. *Dactylis* الانجيل gramen. Corbis 5. p.

Rotl.
Pará.

5. *Gentiana.* جنتيانا *Djentiana.* E Græcia. Ok 60 p. - Rotl 24.
6. *Helenium.* 7. *Biſtorta.* بشتورته
8. *Angelica.* انجيليه
9. *Rhabarbar.* *Ravend.* راوند E Perſia per Damaſcum: & per Basram cum Carvana Meccenſi. Ex Archipelag. vilior. Ok-300-400 p. ʒj. 2. p.
10. *Conſolida.* جماجم E Græcia. - - - 24.

11. *Fragaria.*
12. *Artemiſia.*
13. *Doronic.* درنج
14. *Bruſcus.*
15. *Eryngium* شقاقل
16. *China.* خشب صيني
17. *Hellebor. alb.* خربق ابيض
18. - - *nigr.* خربق اسود
19. *Cynogloſſum.* لسان الكلب
20. *Apium graveol.* كرفس
21. *Pentaphyll* بابد افيلون
22. *Capparis.* جدر كبر vulgaris.
23. *Petroſelin.*
24. *Arum.* ترياق ابيض

25. *Anchuſa.* ساق الهمام Alexandriæ. 5.
26. *Turbetum.* تربد تربدل an rad? Ex India 36.
27. *Rubus* عرق الجبار Alexandr. 5.
28. *Alcea* ficifol. Káhiræ vulgar.
29. *Aſparagus* جدر هليون Ex Europa 25.
30. *Scillæ.* بصل عنصل E Syria. ſingula 5.p.
31. *Zedoaria.* زرنبه Ex India. - 24.
32. *Galanga.* خولنجان Ex India. 24.
33. *Aſarum.* اسارون E Græcia. - 18.
34. *Struthium.* كندس E Græcia. 24.
35. *Pyretrum.* عود القرح E Barbaria 24.
36. *Acorus.* عرق ايكر E Græcia. 20.
37. *Madragolæ.* Ital. *Mandragora.*

38. *Jalapa.* جلابا vel جليا E Græcia. Ok. 400. p. *Pulvis jal. Sufûf jalaba.*
39. *Ipecacuanh.* Ex Europa. ʒj. 3. p. *Pulv. ip. Ærq ed dahab.* عرق الذهب
40. *Fœniculum.* جدر شمر (putatur Saſafr.) E Græcia. - - 24.
41. *Schœnanth.* *Edcher.* اذخر مكي Arabia. - - - 20.
42. *Glycyrrhiza.* عرق سوس E Græcia & Syria: melior ex Said. - 4.
43. *Rubia tinct.* فوة الصباغين E Græcia. Diuretic. - - 12.
44. *Spicæ celt.* سنبل Ex Europa. Rotl 18. p. E Græcia. - 20.
45. *Scammon.* *Scamunía.*

46. *Her-*

Roti. Parà.

46. *Hermodactyl.* *Surendján* صورنجان vel *Chamîre.* خميرة
Alexandriæ & e Barbaria. Exportatur Conſtantinop. - 10.

47. *Saq el hamâm.* ساق الحمام Tinctor. pro condit. - 8.
48. *Leja ulvojje.* ليا ولويه Frequ. in compoſitis. Alexandriæ. 6.
49. *Hözumbul alfi.* حزنبل الفي Contra Colic. - 8.

50. *Oud elqarah.* عود القرح acris. Dentibus dolent. imponitur. 40.
51. *Scherghedán.* شرغدان Non medica; ſed tinctoria; quam Arabes ſoli emunt plurimam, & aluminis loco pulverem addunt tincturis rubris lanam fucantibus. Barbaria. - 18.

52. *Chaulendján aqarbi.* خولنجان عقاربي frequ. aphrodiſiac. pulv. cum lacte ſumitur. - 30. Ex India.
53. *Kurkum* كركم vel *Hurt.* هرت - - 18.

54. *Turjaq abjad.* ترياق ابيض In dolore oſſium. - - 18.
55. *Orchis. Salep. Sàhleb.* سحلب vel *Choſa táaleb.* خصي ثعلب - 40.
56. *Eſchtivan.* اشتيوان vel *Beſſanedj.* بسفانج in Siphilitid. - 20.
57. *Ærq djenáh.* عرق جناح Contra Colicam. - - 20.
58. *Rakafe.* ركفه pulvis ſternutator. - - - - 6.
59. *Djamadjem.* جماجم ſemper miſcetur cum Eſchtivan - - 16.
60. *Bahman ahmar.* بهمن احمر ingreditur theriac. - - 24.
61. *Örq el halave.* عرق الحلاوة Pulvis ad veſtes dealbandas. Etiam ad condit. (confitures.) - 8. Ex Græcia.
62. *Örq endjibar.* عرق انجبار - - - 6.
63. *Schæqajeq ennööman.* شقايق النعمان Ok. 3. p.
64. *Luffáh abu nafá.* لفاح ابو نافع aphrodiſiac. - - - 20.
In compoſit. & in unguentis.
65. *Jakelún* ياكلون vel *Djakelún.* جاكلون - - - 8.
66. *Örq öntorab.* عرق انطراب - - - - 6.
67. *Moghat.* مغات - - - - - - 18.
Harum 3 ſpec. pulvis mixtus aqua bibitur; in fracturis oſſium.

Rott.
Parà.

VIII. SEMINA.

1. *Tamarindus. Habb tamr hendi.* حب تمر هندي Ex Ægypto ſuperiore 24.
Coquitur, vel in aqua per noctem digeritur & calidus vapor admittitur genubus dolentibus in Gonagra.

2. *Aniſum. Janiſûn* يانسون vel *Aniſûn.* Ex Ægypt. ſup. - 20.

3. *Cuminum. Kamûn.* كمون Ex Ægypt. ſup. - - 10.

4. *Carum. Karavi andaluſi.* كراويه اندلسي Ex Barbaria & Andaluſ. Cruda, contra Colicam. - - - 5.

5. *Apium graveolens. Keraſs.* كرفس Kâhiræ. - - 11.
In compoſitis. Semina hæc aſſumta, ſiſtere poſſe, ajunt vomitum navigantibus ortum ex agitatione maris & navigii.

6. *Rhus Sumak? Bizr eſſimaq.* بزر السماق E Græcia. Ok. 10. p.
Sem. cocta cum oryza Dyſenteriam ſiſtunt.

7. *Daucus carota. Bizr djazar.* بزر جزر Kâhiræ. Aphrodiſiac. frequ. in uſu. - - - - 30.

8. *Fœniculum.* Ex Ægypt. ſuper. *Schamer.* شمر - - 10.

9. *Solan. melong. Bizr beidindjan.* بزر بيدنجان Kâhiræ. - 30.

10. *Allium porrum. B. Korrat.* بزر كرات Kâhiræ. - - 8.

11. - - *cepa. B. baſál.* بزر بصل Kâhiræ. Aphrodiſ. - 30.

12. *Opobalſam. B. beileſân.* بزر بيلاسان Ex Arabia. Parcius. - 8.

13. *Zygophyllum deſertorum. Kamûn Karamâni.* كمون كرماني Deſert. Kâhir. Frequ. contra Colicam. - - 4.

14. *Portulaca oleracea. B. Ridjle.* بزر رجله Kâhiræ. Frequ. in compoſit. - - - - - - 25.

15. *Laurus nobil.* bacca. *Habb el ghar.* حب الغار E Græcia. - 24.

16. *Peganum harmala. Bizr harmal.* بزر حرمل E Deſert. Kâhir. 3.
Fumigator. & medicum.

17. *Sinapis nigra. B. kâbar.* بزر كبر Kâhiræ. Aphrodiſ. - 8.

18. - - - - *B. chardél.* بزر خردل Kâhiræ culta. - 3.
Culinaria: pulvis cum aceto & ſaccharo digeritur per noctem.

19. *Nigella.*

Roti. Pará.

19. *Nigella. Habb ſaude.* حبة سودة Ex Ægypto ſup. 15.
Piſtores cum pane miſcent. Et medicum.
20. *Ocymum baſil. B. rihán.* بزر ريحان Káhiræ. - 10.
21. *Cichorium. Hendabe.* هندبة Ex Ægypto ſup. - 10.
22. *Trigonella fœnugr. B. helbe.* بزر حلبة Káhiræ. Decoct. medic. 6.
23. *Citrus cedro. B. turundj.* بزر طرنج Káhiræ. - - 40.
Meliora ſem. ex Archipel. Contra Colicam.
24. *Dolichos. Máſch.* ماش Ex Aleppo. - - - - 10.
Refrigerator. & Juſculi forma datur nutricibus ut galactophor.
25. *Lupinus. Termis.* ترمس Káhiræ. Contra Vermes Cucumerarios. 4.
26. *Cucurb. lagen. Qara tauvil.* قرع طويل Káhiræ. vulg.
27. *Cartham. tinctor. Bizr qortom.* بزر قرطم tinctor & medic. - 5.
28. *Piſtacia terebinth. Habb el botm* حب البطم vel *Habb chadra.* حب خضرة E Græcia. Freq. in compoſ. Ok. 10-20. p.
29. *Ricinus. Habb charua.* حب خروع purgans: & in oleis.
30. *Pinus. Snobar.* صنوبر Alep. *Föſtuq.* فستق Káhiræ. E Græcia. Ok. 3. p. Culinaria & medic. creditur aphrodiſ.
31. *Bizr mæru.* بزر مرو Ex Ægypt. ſuper. culinar. & medic. - 6.
32. *Liſſán aſſúr.* لسان عصفور (i. e. *lingua* avis.) Ex India. Freq. culinar. & med. - - - - 18.
33. *Schiſchm.* شِشم Ex Sennâr cum Carvanis. - - 8.
Ophtalm. pulvis cum ſaccharo oculis aſpergitur.
34. *Djabal hendi m'tarreſch.* جبل هندي مطرش Ex India. - 40.
Parce. Vomitor. ℨj cum decocto ficuum ſicc.
35. *Bizr keſchut.* بزر كشوث E Syria. - - 24.
Judæis præſertim in uſu. Coſmetic. interne ſumtum.
36. *Bizr bindj* بزر بنج E Græcia. *Hyoſcyamus Datora.* - 36.
Soporiferum ægris & infantib.
37. *Habb el ghul.* حب الغول E Syria. - - - 10.
Ingreditur compoſ. dictum *Meſattaqa* pro gravidis.

38. *Fu-*

Rotl. Parì.

38. *Fumaria officin.* شهترج
39. *Urtica pilulif.* بزر قريص
40. *Plantago maj.* لسان حمل
41. *Alcea ficifol.* بزر خطميه
42. *Malva rotundifol* بزر خبيزه
43. *Vitis* كف مريم agn. caſt. Λογάρια.
44. *Carduus mariæ.* لحلاح
45. *Cucum. orient.* حب خيار
46. - - *abd el avi* عبد اللاوي
47. *Cucurb. citrull.* حب بطيخ

48. *Papaver alb.* خشخاش ابيض
49. *Linum* كتان
50. *Acetoſa obtuſif.* حماض
51. *Lactuca* خس
52. *Marum* مرو
53. *Ammi.* نانخوه Ex India. 24.
54. & ex Ægypt. - 10.
55. *Anacardium.* حب بلادر
E Græcia. - 16.
56. *Cydon.* سفرجل E Græc. 20-60.

57. *Cuſcuta.* بزر كشوت E Said. - - - 24.
58. *Cina.* *Bizr Chariſanie.* بزر خريسانيه E Perſia per Syriam - 30.
59. *Indigofera tinct.* *Nile.* بزر نيله - - - 10.
60. *Pæonia.* rad. *Oud es ſalib.* عود الصليب - - 40.
61. *Cataputia.* الدند Ex India. Venenoſ. purgans. - 80.
62. *Coriandrum.* *Kurbara.* كزبرة شامي 63. *Choghân.* خوغان (ignot.)

IX. GUMMATA, RESINÆ, SUCCI.

1. *Gummi arabicum.* *Samgh tûri.* صمغ طوري Ab urbe Tôr. - 8.
2. *Sandarac.* *Sendarûs.* سندروس E Græcia. Pictor. pro vernigine. 36.
3. *Olibanum.* *Samgh lebân hedjazi.* صمغ لبان حجازي Ex Arabia. 18.
4. - - *ſyriacum.* *S. lebân ſchami.* صمغ لبان شامي E Græcia.
Ok 25. p. - - - - - 10.
5. *Tragacantha.* *Ketîre bæjda.* كثيره بيضه E Græcia. Ok 60-70. p.
Medic. & Textoribus ſericariis.
6. *Mimoſa acacia.* *Samgh arabi.* صمغ عربي ابيض Ex Nigritia (Sennar.)
& Hedjâs. - - - - - 12.
7. *G. Mimoſæ nigrum*; vel *G. arab. nigr.* *Samgh ſaidi* صمغ سعيدي Ex Æg.
ſup. Uſus tantum pro atramento. - - - 4.

8. *Gal-*

Rotl.
Parà.

8. *Galbanum.* *Samgh qanavaſcheq.* صمغ قناواشق E Perſia. 400.
drachm. 400. p. ʒß interne contra Colicam.

9. *Opoponax.* *Samgh djoaſchir.* صمغ جاواشير E Syria. - 50.

10. *Gutta.* *Robb erravendi*, رب الراوند i. e. *Robb rhabarbari.* Ex Ind. 50.
Purgans.

11. *Ladanum.* *Laden.* لادن Candia. - - - 35.
Peſte graſſante, manu geſtatur olfactorium.

12. *Elemi.* *Lami.* لامي Ex India. Medicum; fumigator. & maſticat. 40.
Decoctum in hæmorrhagia uteri poſt partum.

13. *Lacca.* *Samgh el lock.* صمغ اللك Ex India, cruſtæ forma in ligno. 50.

14. *Samgh bochôr eſſudán.* صمغ بخور السودان Ex Abyſſinia. ʒj 5. p. 60.
In caſtratione ſanguis ſiſtitur hujus fumo.

15. *Chaulán hedjazi.* خولان حجازي Ex Arabia. - - 16.

16. - - *Rob chaulan.* رب خولان Ex India. - - 50.

17. *G. Euphorbiæ.* *Ferfiún.* فرفيون E Barbaria. - - 10.

18. *Ref. Pini.* *Qalafunia* قلافونيه vel *Samgh eſſnobar.* صمغ الصنوبر
Ex Archip. Uſus opificibus ſtanni. - - 5.

19. *G. Oleæ.* *Samgh eſſeitún.* صمغ الزيتون Káhiræ. - - 10.

20. *R. ſcammon.* *G. Diacridii.* *Mahmûde.* محموده E Syria.
Frequ. purgans.

21. *R. Jalapæ.* صمغ يالبا (magiſterio di Jalap.) E Græcia. ʒj. 10. p.

22. *Tamarindi.* *Tamrahendi.* تمر هندي Ex Sudân ſeu Nigritia. - 10.

23. *Ketíre adjami* كثيره عجمي vel *Hamra* حمره vel *Keſrui.* كسروي
E Perſia. Ok. 30. p.

24. *Camphora.* *Kafúr.* كفور Ex India. R. 60. p. Melior ex
Europa. - - - - - 120.

25. *Laudanum.* *Chals afiún.* حلس افيون E Græcia. - 140.

26. *Suc. Glycyrrhiza.* *Rob Sús.* رب سوس Ex Europa. - 40.

27. *Pix dura.* *Zift.* زفت E Græcia. - Ok 2. p.

28. *Gluten vulgare.* *Ghere ſchami.* غره شامي E Syria. - 15.

Rotl.
Parà.

29. *Manna calabr.* *Sarachöſcht frandji.* صراحشت فرنجي Ok 50-120. p.
Ex Europa. E Syria Ok 80. p.

30. *Aloe ſucotrina.* *Sabr ſoqotri.* صبر سقطري Ex Hedjâs. - 24.

31. - *ſabr belledi.* Vilior, ex Yemen.

32. *Myrrha.* *Mur.* مر Ex Arabia, ſed melior ex Abyſſinia.

33. - - *Bedellium.* صمغ مقل ازرق eſt myrrha imperfecta. - 30.

34. *Aſſa fœtida.* صمغ حلتيت Ex India. - - - - 70.

35. *Tacamehaca.* تاكا ماهاكا E Græcia. - - - 25.

36. *Benzoæ.* *Djaui.* صمغ جاوي Ex India. Rotl. 1. patak vel
½. pat. vel 25. parà.

37. *Sarcocolla.* *Anzarût.* انزروت 38. *Colophonia.*

39. *Rob ribâs.* رب ريباس E Græcia: melius e Syria. - 30.

40. *Hypociſtis.* عصرة لحية التيس ſucc. E Syria. - - 25.

BALSAMA.

1. *Innocentiæ.*
2. *Meccenſe.*
3. *Peruvian.*
4. *Copaivæ.*
5. *Hieroſolymitan.*
6. *Sulphuris.*
7. - - *aniſatum.*
8. - - *ſuccinat.*
9. - - *terebinthinat.*

X. OLEA.

USITATA.

1. *Nucis moſch.* *Dehn djauz tib.* vel *Dehn biſbâs.*
2. *Hyperici.*
3. *Ovorum.*
4. *Lauri.*
5. *Coryli.*
6. *Nigellæ.*
7. *Been.*
8. *Aba cûchi.*
9. *Viperæ.*
10. *Scorpion.* matthiol. *Dehn akrab mattioli.*
11. *Zacum.*

EXOLETA.

EXOLETA.

1. *Fœniculi.*	*Dehn ſchamar.*	6. *Succini.*	*Dehn kehribar.*
2. *Aniſor.*	- *aniſun.*	7. *Ceræ.*	- *ſchamia.*
3. *Juniperi.*	- *arar.*	8. *Philoſoph.*	
4. *Stoechad.*	- *ſtachudes.*	9. *Tart. per deliqu.*	
5. *Terebinthinæ.*	- *termentinæ.*	10. *Petræ.*	*Dehn tub.*

XI. SPIRITUS.

1. *Salis corroſiv.*
2. - *armoniac. Ruh naſchadir.*
3. *Nitri corroſiv.*
4. *Vitrioli. R. eddjas.*
5. *Sulphuris. R. el kibrit.*
6. *Succini volatil.*
7. *Tinct. ſal. tart.* خلاص ملح طرطير
8. *Sarſaparill. Ruh eleſpe.*
9. *Salviæ.* - *merjamiæ.*
10. *Terebinth.* - *termentina.*
11. *Lavandulæ.*
12. *Meliſſæ.*
13. *Pergamott.*

XII. AQUÆ.

USU FREQUENTES: PRETIO 4, 6, 8 PARA ROTL.

1. *Origani majoran.* ما زعتر vel بردقوش
2. *Aneth. graveol.* ما شبت & *fœnic.* ex umbellis.
3. *Rutæ.* *Moje ſeddeb.* ما سدب
4. *Capilli ven.* *Moje kisberet el bír.* ما كزبرة البير
5. *Fumariæ.* *Moje ſchataredj.* ما شاترج
6. *Aurant. flor.* *Moje zahar.* ما زهر
7. *Roſæ.* *Moje ward.* ما ورد
8. *Cichorii.* *Moje Hindabe.* ما هندبه
9. *Borag. offic.* *Moje Liſſán ettór.* ما لسان الثور

 10. *Plan-*

10. *Plantag. maj.* *Moje Liſſân el hemmel.* ما لسان الحمل
11. *Citri cedro.* *Moje Tarendj.* ما ترنج
12. *Parietariæ.* *Moje Haſchiſchet er rîch.* ما حشيشه الريح
13. *Salix.* *Ban.* E floribus maſculis deſtillatur aqua uſitatiſſima, dicta *Moje chaláf.* ما خلاف
14. *Apii & petroſelini.* *Moje kerfis.* ما قرفس
15. *Scabiei.* *El hake.* ما الحكه
16. *Ophtalmica.* *El ajn.* ما العين
17. *Franca.* ما فرنجي
18. *Theriacal.*
19. *Myrti folior.* *Marſin.* ما مرسين
20. *Olibani.* *Moje Libân.* ما لبان
21. *Sem. aniſi.* ما انيسون
22. *Malvæ rotundif.* *Habîze.* ما حبيزه
23. *Menthæ gentil.* fol. ما نعنع راس
24. *Card. mar.* fol. ما نحلاح
25. *Lawſoniæ inerm.* flor. ما تمرحنه

XIII. SYRUPI.

1. *Agrimon. Scherâbghâſe.* شراب غافة
2. *Pomor. Sch. teſâch* تفاح
3. *Perſicar. Choch* خوخ *& florum.*
4. *Menthæ. Sch. Nànaà.* نعناع
5. *Prunor. Sch. Barkûk.* برقوق
6. *Chebuli.* كابلي
7. *Myrti. Sch. Marſîn.* مرسين
8. *Cichorii. Sch. Hendebaſa.* هندباسا
9. *Tamarind.* شراب تمر هندي
10. *Hyſſopi. Sch. Zufe.* زوفه
11. *Nicotianæ. S. Dochân.* شراب دخان
12. *Ambroſiæ* ſerot. *Demſîſe.* دمسيسه
13. *Fumariæ.* شاتراج
14. *Byzantin.* ديناري
15. *Cort. Citri.* قشر ترنج
16. *Nympheæ.* نوفر
17. *Betonicæ.* بتونيكا
18. *Glycyrrhizæ.* شراب عرق سوس

XIV.

XIV. CONSERVÆ, ELECTUARIA, EXTRACTA.

1. *Conſervæ anacard.* البلادر
2. - *Violarum.* حميرة بنفسج
3. - *Abſinthii.* شيبه
4. - *Cydonior.* سفرجل
5. - *Ros alb.* نسرين
6. - *Menthæ.* نعناع
7. *Mel roſar.* عسل الورد
8. *Succ. rad. rubi.* شراب عرق الانجبار
9. *C. hyacinthi.* *Madjan jakût.*
10. *C. alkermes.* *Mad. Kermes.* e Cochenilla americ.
11. *Electuarium Fumariæ.* شهترة
12. - - *Epiſcop.* اسقف
13. - - *Diaphœn.* تمري
14. - - *Mubinum.*
15. - - *Trophera.* معجون اطريفل ℨj. 5 - 10. p.
16. *Mithridatum.*
17. *Ther. diateſſar.* *Turjaq.*
18. *Diaſcord.*
19. *Philonium roman.*
20. *Diarodon. ſolutiv.* ديارودون المسهل
21. - - *abatis.* ديارودون اباتيس
22. *Diaxil aloes.*
23. *Dia. ciminum.*
24. *Terpentina cypr.* ترمنتينا قبرصي
25. *Opiata card.*
26. *Electuarium florum ſtœchad.* معجون الاسطوخودس
27. - - *Scillæ.* العنصل
28. - - *Diacathol.* دياكاتولكن
29. - - *Chamak.* امنك

 30. *Electu-*

30. *Electuarium Muſtaru.* انجدارو
31. - - *Philoſophor.* الفلاسفة
32. - - *aromatic. roſatum.* اروماتيقو روزاتو
33. - - *Caſſiæ.* رب حيار شنبر Rotl. 15. p.

XV. UNGUENTA.

1. *Santali.* مرهم صندال
2. *Galbani* مرهم قناوشق
3. *Baſilic.* مرهم زفت
4. *Comitiſſæ.*
5. *Altheæ.* مرهم خطمية (*alcea ficif.*)
6. *De plumbo.* مرهم رصاص
7. *Ægyptiac.*
8. *Neapolitan. Neabolitân.*
9. *Apoſtolor.*
10. *Roſatum.*
11. *Populeum. Bubulio.*
12. *Ceruſſæ.* مرهم سبيداج

XVI. PULVERES.

1. *Digeſtiv.* uſit. *Söfûf el önſul.*
2. *Hierapicra.* ايارج فيقرا uſit.
3. *Stomachal.* uſit.
4. *Univerſal.* exol.
5. *Tragea Craton.* exol.
6. *Diamoſc.* exol.
7. *Bezoard.* exol.
8. *Diamargaritac. Söfûf lului.* exol.
9. *Diatrag.* calid. & frig. *Söfûf el ketîre.* exol.
10. *Diatrion ſantalon. Söfûf telatet-aſchkal ſandal.*

XVII. PILULÆ.

1. *Maſtich. Hab el maſtek.* حب المستكة
2. *Stomachicæ. Hab el màade.* حب المعدة
3. *Hyſtericæ. Hab el niſſa.* حب النسا
4. *Cholagogæ. Hab el ſafra.* حب الصفرة

5. *Hierapicr.*

5. *Hierapicr.* *Hab aijâredj fickre.* حب ايارج فيقرا
6. *Divinæ.* *Hab el lahi.* حب الالهي
7. *Arabicæ.* *Hab ærrabi.* حب عربي
8. *Suppoſitorii.* *Hab t'hammil.* حب تحاميل
9. *Hermodactyl.* *Hab ſurnahân.* حب سورنحان
10. *Cynogloſſi.* *Hab liſſân el kelb.* حب لسان الكلب
11. *Aureæ.* *Hab el dàhab.* حب الذهب
12. *Cochiæ.* *Hab kokaja.* حب قوقايا
13. *Fumariæ.* *Hab ſchachtaredj.* حب شاحترج
14. *Bdellii.* *Hab el makel.* حب المقل
15. *Trib.* *Hab mitlet.* حب مثلث
16. *Fœtidæ.* *Hab el mantan.* حب المنتن
17. *Mercuriales.* *Hab el ſeibak.* حب الزيبق
18. *Agaric.* *Hab gharkûn.* حب غارقون
19. *Sine quibus.* *Hab amumi.* حب عمومي
20. *Lucis majoris.* *Hab el nûr el kbîr.* حب النور الكبير
21. *Rhabarbar.* *Hab ravend.* حب راوند
22. *Ammoniac.* *Hab el kellech.* حب الكلخ
23. *Becchicæ.* *Hab es ſâale.* حب السعلة
24. *Mercur. dulcis.* *Hab Merkuri hellu.* حب مركوريوحلو
25. *Hab el kei.* حب الكي Pro *Fontenellis.* Aperiuntur Merc. albo, præcipitato, Cera mixto; cortex cereus demitur: applicantur. Aperti ſervantur Globulis piſiformibus perforatis, e Radice Iridis Florentinæ.

XVIII. VARIA.

1. *Spidadj bunduki.* سبيداج E Venetia. Externe cum jaſmino contra ſcabiem.
2. *Zernich aſuad.* زرنيخ اسود Ex Europa. In Unguentis ſiphilit.
3. *Oſteocolla.* *Tihân.* تيهان

4. *Iria ſantala.* *Talatet Sandál.* ثلاثه صندال
5. *Mamotova-Koſt.* raſura cornuum. *Barádet karn el hartít.* برادة قرن الحرتيت
6. *Uva Corinth.* Aleppo. *Qaſchlamiſch* قشلميش vel *Zebíb dörbeli.* زبيب دربلي
7. *Kurſillæ.* كرسنه E Syria.
8. *Kœnbe.* كنبه Ex Æthiopia. Siliquæ: aphrodiſ. putantur.
9. *Charbaq.* خربق E Conſtantinop. radix. Contra Colicam.
10. *Næde.* ند E Conſtantinop. purgans.
11. *Tîn fîl,* تين فيل i. e. *ficus Elefantis.* E Perſia.
12. *Fetar aſaliûs.* فطر اساليوس E Græcia. Ingreditur Theriac.
13. *Zebîb djæbbel.* زبيب جبل E Græcia. Medicis *Muizidj.* مويزج Ad Capillos auferendos.
14. *Bindj ahmar.* بنج احمر Ex Æg. Super. ſoporifer. & vulneribus imponitur.
15. *Keſchut.* E Syria. In Lexicis *Cuſcuta?*
16. *Zen zallahat.* زنزلحت Ex India. Melia?
17. *Qotne hamra.* قطنة حمرة E Roſetta. Paſta conficitur bubonibus imponenda.
18. *Nachva hindi.* نخوه هندي Umbellata ex India.
19. *Petra;* دهنج دهبي ad auferendas maculas oculorum, trita cum aqua; pulvis oculis imponitur.
20. *Hobba ghali* (fruct. obſcur.); oleo ungunt fœminæ crines ut creſcant. Et contra dolores artuum.
21. *Schidæd el muddæde* (obſc. caule volub.) Arabes aqua deſtill. utuntur ad medicinam.

7523